

Google

Madingley Vicarage,
Cambridge
July 20. 1875

Dear Sir

Would you have any objection to inserting the enclosed letter in the Library copy of *De Miraculis Anglicana*. I think the letter has some permanent

value & its confidential
character has long since
passed away

Yours faithfully

[illegible]


Private and Confidential.
Not for publication in any form.

It is thought that the following letter wı eminent ecclesiastical scholar the Abbé Duches the authors of the book *de Hierarchia Ang* published from the Cambridge University Press, those who look for a possible reconciliation of parts of the Church.

86 rue B

Cher Monsieur,

C'est avec le plus grand plaisir que j' dissertation sur la hiérarchie anglicane. La th défendez me paraît incontestable. Je m'étais d en ce sens dans le Bulletin Critique; depuis, ay sion d'étudier le sujet de plus près, et notamment le livre d'Estcourt, je n'ai fait que me confirmer mière impression. Les arguties de vos adversair étrangement à celles qui servaient aux Donat défendre contre les Catholiques. J'ai eu l'o développer mon opinion en très haut lieu et j que l'on ne m'a pas su mauvais gré de pen le fais.



nombre de truchements, qui, autant que je les connais, sont loin d'avoir l'esprit très ouvert. En latin vous serez lus ; en anglais vous seriez interprétés.

Je puis vous dire que mon collègue Mgr. Gasparri a tout-à-fait abandonné l'opinion émise par lui dans son traité de l'Ordination. Il s'en était rapporté à Perrone, qui l'avait trompé. Depuis, il a pris connaissance des documents, et même de vos épreuves. En suite de cela il a fait savoir en bon lieu qu'il était de votre avis, et il a donné les raisons du changement.

Que Dieu veuille tracer, au milieu de ces études et de ces controverses, un sentier qui nous conduise à l'unité ou du moins nous en rapproche autant que possible. Soyez sûr que, de mon côté, je ferai tout mon possible pour que l'on vous apprécie suivant vos mérites, ce qui arrivera si l'on parvient à vous mieux connaître.

J'espère que l'illustre évêque de Salisbury aura trouvé dans son grand voyage le calme et le réconfort dont il avait besoin.

Très cordialement à vous

DUCHESNE.

DE

HIERARCHIA ANGLICANA

DISSERTATIO APOLOGETICA

London: C. J. CLAY AND SONS,
CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS WAREHOUSE,
AVE MARIA LANE.
Glasgow: 263, ARGYLE STREET.



Leipzig: F. A. BROCKHAUS.
New York: MACMILLAN AND CO.

DE

HIERARCHIA ANGLICANA

DISSERTATIO APOLOGETICA

AUCTORIBUS

EDWARDO DENNY A.M. ET T. A. LACEY A.M.

Ecclesiae de Kempley in Dioec. Glocestren. Vicario perpetuo

Ecclesiae de Madingley in Dioec. Eliensi Vicario perpetuo

PRAEFANTE

R. D. SARISBURIENSI EPO.

LONDINI
VENEUNT APUD C. J. CLAY ET FILIOS
IN EMPORIO PRELI ACADEMICI
CANTABRIGIENSIS
AVE MARIA LANE
1895

Cantabrigiae
TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBANT
J. ET C. F. CLAY.

PRAESIDI CONCILIO SODALIBUS

SOCIETATIS DICTAE

THE ENGLISH CHURCH UNION

CUIUS SUMPTIBUS IN LUCEM PRODIIT

OPUSCULUM

GRATO ANIMO DICAVERUNT

AUCTORES

PRAEFATIO

(SCRIPTORE JOHANNE WORDSWORTH EPISCOPO SARISBURIENSI).

COGITANTI mihi saepenumero qua potissimum de causa evenerit ut oratio Dominica, toties repetita, "adveniat regnum tuum...sicut in caelo et in terra" tam exilem fructum pacis et unitatis produxerit, occurrit recordatio similitudinis evangelicae et Domini dicentis "Inimicus homo hoc fecit." Qui enim zizania inter triticum seminat, summopere laborat ut diei Dominici adventus prorogetur et terra a caelesti specie quam longissime abducatur. Gaudet etiam quam maxime cum fideles arma invicem convertant, neglecto spiritali praelio, et cum telis, quibus ipse iure subruendus sit, ad arces Christianas evertendas abutantur. Quod certe in controversia Romana nimis frequenter evenit. Multa enim ex utraque parte et dicta sunt et facta, quae Christiano nomini dedecori sunt, et haec non tantum a militibus sed etiam a praefectis et tribunis. Nec, cum naturam hominum consideremus, admodum mirandum est odium istud inter fratres exortum corda amaritudine perfudisse. Humanum enim est fratrum errores pro nefas ducere, lapsus in peius interpretari, iniurias ferociter vindicare. Quod hac ratione explicandum censeo. Impossibile scilicet credimus illos, qui tam arcte nobiscum natura coniuncti sint, vere et ingenue a nobis

disceptare posse de rebus quae nobis clara et aperta videantur. Ideo errores illorum non ex sano et sincero iudicii discrimine exortos aestimare solemus, sed perversitati, fraudi, caecitati voluntariae, et caeteris id genus improbitatibus imputamus. Dolor etiam vulneris a fraterna manu accepti maior est, iniuria durior, fraus acerbior. Quae cum observet inimicus mentes nostras excitat, animos inflammat, corda excaecat, ut quae prius casu forsan acciderint, aut mendis levioribus implicata fuerint, in mala diuturna et gravia evadant. Itaque diversa illa dona et diversae operationes, quas Deus huic vel illi eo fine dederit, ut multiplicem suam sapientiam ostendat, et ecclesiam vario ornatu distinguat, schismatis origo factae sunt; et gloria vera Dei in vanam gloriam hominum dissidentium et pro se laborantium misere conversa est.

Venire tamen potest ex misericordia Dei hora illa exoptata cum pacis desiderium inter Christianos super omnia impedimenta dissidii inveterati consurgat. "Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audimus" primo leniter murmurantem in angulis, deinde gravius sonantem, mox publice et instantius inclamantem. Quae hora, credo, non longe abest. Signa enim temporum nos manifeste monent ipsa fidei fundamenta subrui, diem tribulationis ecclesiae adesse. His igitur animadversis nonne oportet homines Christianos, ira et discordia sepositis, manus invicem tendere et consilium una capere quomodo societas antiqua, et cum societate fortitudo martyrum pristinorum, his diebus saeculari otio deditis, instauretur?

Certe in controversia Romana iras et odium seponere nostrum est; sed iudicium integrum et aequum ex altera parte postulare verum est. Integrum dico, cum mendaciis et figmentis Deo servire impossibile sit; aequum vero postulamus ut a fratribus, quibus in melius quod factum sit non in peius interpretari congruum sit. Qua in re necesse est, mutari

multorum animos, spiritu sancto adiuvante, et modos controversiae solitos seponendos. Ignorant nempe multi quod ignorare dedecori est; calumnias antiquas referunt quas referre pudori est; obsoletas traditiones redintegrant quas viri vere docti pro nihilo ducunt.

Visum est ergo nonnullis inter nos (quibuscum amicos antehac paene ignotos, praesertim in Gallia, in hoc consentire cum gaudio videmus) congruum iam adesse tempus ut veritatem de ordinationibus Anglicanis fratribus nostris, praecipue ecclesiae Latinae, a nobis usque ex saeculo decimo sexto separatis, denuo proponamus. Separationem sine dubio neque nos, qui modo vivimus, fecimus, neque illi fecerunt: neque dissidium, cuius haeredes facti fuimus, penitus tollere poterimus. Sed quod sine peccato nostro consistit, tolerabilius utrinque facere nos oportet; neque ab hoc officio declinare sine peccato possumus. Tolerabilius, inquam, facere nos oportet, et posteris, quatenus in nobis est, penitus tollendum relinquere. Qua in re primum opus est voluntate bona; deinde amore veritatis sine fuco et ambitione; denique scientia idonea et diligentia. Quae omnia habent sine dubio auctores libri *De Hierarchia Anglicana,* qui me ut aliquid de hac controversia praefationis loco operi suo praeponerem benigne rogaverunt.

Neque credo quemquam latere posse quam arcte coniuncta sit controversia de ordinationibus nostris cum instauratione pacis inter Ecclesias. Ordines nostros omnimodo validos esse censemus: negant multi ex fratribus Latinae ecclesiae, dubitant plures, pauci asserunt. Sed haec negatio et dubitatio tam longo tempore propagata cum maxime conturbat hominum animos, et eorum qui foris sunt et qui intus sunt. Quid est enim de quo disceptetur? Non est res parvi momenti, sed dubitatur an veris sacramentis uti nos credendum sit. Quanquam enim baptisma nobis validum invite et sub aliqua

condicione concedant, adversarii de caeteris dubitare volunt. An parvuli nostri post baptisma spiritum sanctum in confirmatione susceperint? An corpus et sanguinem Domini in Eucharistia vere percipiamus? An sacerdotes nostri officiis et facultatibus a Domino concessis vere potiantur? Haec omnia in dubitationem cum hac dubitatione de ordinibus trahuntur. Si autem vera est dubitatio, sincera negatio, quamvis ipsi nullo modo dubitamus, querellam non facimus. Sed quod scandalum nobis facit hoc est: dubitationes aliquando ob utilitatem propagatas videri; figmenta serio refutata per tempus tantum seponi, ut rursus inter ignorantes dispergantur; obsoletas de ritibus opiniones sustentatas, cum res, alias manifesta, per eas obscurari possit. Et, quod miserrimum, haec omnia fieri in nomine Eius qui veritas est.

Commendo ergo lectoribus externis opus quod sequitur: probatum iam in Anglia, et Latina versione iam merito donatum, ut plenius et accuratius in orbem Christianum procedat. Scopus vero totius libri hic est ut veritas sine dissimulatione innotescat. Norunt auctores se munus admodum difficile suscepisse; non credunt se errores omnino devitasse, neque in tam parvo volumine omnia quae lectores quaerere poterint congessisse et edidisse. Sed ante omnia veritatem sequuntur. Censuram virorum doctorum non modo non refugiunt, sed libenter amplectuntur, et si quid luminis ex aliena ecclesia accesserit pro beneficio habebunt.

Quod ad nostram ecclesiam attinet non contra orbem Christianum nos veritate solum potitos asserimus: non omnes nobiscum consensuros speramus. Id tantum quaerimus ut, qui aliena constitutione rerum ecclesiasticarum utantur, in animo reputent quid ipsi facere voluissent si cives Anglicani vel saeculis praeteritis vel nunc forent; porro ut secum quaerant an providentia Dei non factum sit ut inter veteris

disciplinae fautores et saeculi decimi sexti novatores ecclesia Anglicana quasi mediatrix intersit, ut indies virtute et gratia iam crescat, ut pacem et veritatem magis magisque diligat. Haereditatem a patribus nobilem accepimus, quam in gloriam Dei augendam sine aliorum invidia et detractatione pro virili parte censemus. Quod si hoc volumen aliquid in hunc finem contulerit auctores pro certo habeo nihil aliud in terra emolumenti quaesituros.

JOHANNES SARISBURIENSIS EPS.

Datum Sarisburiae
Novembris die ix. A.D. 1894.

CORRIGENDA.

p. 5 in nota 4. *Pro* art. ii. cap. ii. § 33 *lege* cap. ii. art. ii. n. 33.

p. 72 in nota 1. *Ante* p. 583, *insere* vol. v.

INDEX SYNOPTICUS.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

APPENDIX VI.

APPENDIX VII.

CAP. I.

De Consecratione Matthaei Parkeri, Archiepiscopi Cantuariensis.

1. Omnes fere scriptores qui contra ordinationes Anglicanas disseruerunt, earum stirpem et originem a solo Matthaeo Parkero, qui anno 1559 consecratus est in Archiepiscopum Cantuariensem, fuisse praesumunt; quocirca de eius consecratione acerrime disputatum est, omnesque historiarum rimae diligentissime exploratae sunt, quo demonstretur eum aut nunquam aut certe invalide consecratum fuisse. Quod si quis putet se demonstrasse, omnes quoque ordinationes Anglicanas prorsus irritas esse statim redarguit[1]. Quamobrem et nobis, qui defensionem agimus, totam rem ex hac parte aggrediendam censuimus.

I. *Non a solo Parkero Hierarchia Anglicana derivata.*

2. Attamen priusquam de ipsamet Parkeri consecratione tractaverimus, cavendum est ne huic soli reipsa inniti videamur. Namque id minime concedimus quod multi tam confidenter obiciunt, Ecclesiam Anglicanam sacrorum suorum ordinum originem a solo Parkero traxisse. Quippe solum quemquam neque stirpem hierarchiae nec traductorem nuncupari praxis Ecclesiae permittit. Traditio enim potestatis ordinis, quam *successionem apostolicam* vocant, non ad instar

[1] Ita ex modernis Perrone, *de Ordine*, n. 137 *in nota*; Schouppe, *Elem. Theol. Dogm. de Ord.* cap. ii. art. ii. quaest. 3; Gasparri, *Tract. Can. de Sacra Ordinatione*, n. 1111 *in nota.*

catenae efficitur, cuius robur per annulum quemque tenuissimum determinatur; sed potius cum lorica trilici comparari debet, cuius hami multimodis conserti ab omni parte sibi invicem subveniunt. Neque id casu neque etiam humano consilio, sed potius divino accidisse plane videtur, ne scilicet per ambages temporum et locorum obscurius producta successio omni certitudine deficeret. Non, inquimus, humano consilio; namque etsi a sacris canonibus res ipsa principium habuerit, alia tamen ratione patres haec iura Ecclesiae dederunt. Relato enim ad concilium Nicaenum I de schismate ex pervicacia Meletii Lycopolitani oriundo, qui sine consensu comprovincialium episcopos quosdam promoverat, sacra synodus huiusmodi abusus tollendi causa decrevit *episcopum ab omnibus qui forent in provincia sua debere ordinari: si vero hoc difficile futurum esset, vel aliqua urgente necessitate vel itineris longitudine, certe tres episcopos debere in unum congregari, ita ut etiam ceterorum qui absentes forent consensum in litteris tenerent*[1]. Hoc igitur canone imprimis cautum est ne paci Ecclesiae officerent promotiones a singulis episcopis effectae. Eo quidem intenderunt patres; gravius quoddam de salute Ecclesiae iubente divina providentia ignari fortasse consulebant. Semper enim observantia viguit iste canon in Ecclesiis tam orientalibus quam occidentalibus, quo fit ut in omni episcopali consecratione, raris exceptis casibus, quorum ne unum quidem in Ecclesia Anglicana occurrisse invenimus, episcopi tres ad minus comministrare soleant. Ideoque si quando acciderit unum ex tribus non verum fuisse episcopum, munusve consecrationis non valido more impendisse, tamen per ceteros assistentes potestas ordinis valida successione

[1] Canon Nic. iv. *Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξάπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γενομένων καὶ τῶν ἀπόντων καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι.* Vide Hefele, *Conciliengeschichte*, i. 381, qui docet hunc canonem ad exemplar primi ex Apostolicis, et vicesimi Arelatensis (A.D. 314) sancitum, et postmodum in plurimis conciliis—Laodiceno (*can.* 12), Antiocheno (*can.* 19), Toletano IV° (*can.* 19), Nicaeno II° (*can.* 13),—confirmatum, et in *Codice Ecclesiae Afric.* (*can.* 13) redactum, in Ecclesia tam Graeca quam Latina semper viguisse. In omnibus collectionibus antiquioribus insertus, tandem in *Corp. Jur. Can.* locum notatissimum habet.

transmittetur. Et hinc quidem certitudinem saltem moralem habemus quod huius successionis ordo nunquam velut rupta catena cessaverit.

3. Namque episcopos assistentes non meros testes consecrationis esse, sed potius cooperatores seu comministros cum principali consecratore, pro certissimo habemus. Id nostri communiter sentiunt. Id Graeci aliique orientales tam orthodoxi quam schismatici affirmant; nec theologicis tantum rationibus innituntur, sed ipsum ritum et verba cum impositione manuum prolatâ testimonio afferunt. De qua re si quis dubitet, preces pro consecratione episcopi in Euchologio (*apud Goar*, p. 302 *seqq.*) signatas conferat, ubi "explicat evangelium pontifex, et, *manum etiam admoventibus aliis pontificibus*, capiti et cervicibus ordinati imponit. Mox cruces tres in eius capite exprimens et manum ei impositam tenens, precatur hoc pacto: Dominator, Domine Deus noster, qui per celeberrimum Apostolum Paulum graduum et ordinum seriem ad subserviendum et ministrandum venerandis et illibatis mysteriis tuis, in sancto altari tuo, constitutis primo Apostolis, secundo prophetis, tertio doctoribus, sanxisti; ipse omnium Domine, hunc etiam suffragiis electum et evangelicum iugum dignitatemque pontificalem subire dignum habitum, *per meam peccatoris et stantium ministrorum et coepiscoporum manum* adventu et virtute et gratia sancti tui spiritus corrobora &c.[1]" Quae verba auctores in hunc sensum communiter interpretantur. Cuius rei in testimonium citamus explicationem rituum, auctore Nikolski, quam in ecclesia Russiana episcopi ordinandis hodie commendare solent. "Consecratio

[1] *Δέσποτα, κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ νομοθέτησας ἡμῖν διὰ τοῦ πανευφήμου σου ἀποστόλου Παύλου βαθμῶν καὶ ταγμάτων τάξιν εἰς τὸ ἐξυπηρετεῖσθαι καὶ λειτουργεῖν τοῖς σεπτοῖς καὶ ἀχράντοις σου μυστηρίοις ἐν τῷ ἁγίῳ σοῦ θυσιαστηρίῳ, πρῶτον ἀποστόλοις δεύτερον προφήταις τρίτον διδασκάλοις· αὐτὸς δέσποτα τῶν ἁπάντων, καὶ τοῦτον τὸν ψηφισθέντα καὶ ἀξιωθέντα ὑπεισελθεῖν τὸ εὐαγγελικὸν ζυγὸν καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν ἀξίαν, διὰ τῆς χειρὸς ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ τῶν συμπαρόντων λειτουργῶν καὶ συνεπισκόπων, τῇ ἐπιφοιτήσει καὶ δυνάμει καὶ χάριτι τοῦ Ἁγίου σου Πνεύματος ἐνίσχυσον κ.τ.λ.* Miramur virum doctissimum P. Gasparri in *opere citato*, n. 1088, episcopos assistentes iuxta ritum Orientalem esse *meros assistentes* vel adiuvantes, quia ipsi non ponant materiam et formam consecrationis episcopalis, asseruisse, cum praesertim ista ipsissima verba de Euchologio mox citaturus fuerit, n. 1090.

episcopalis" inquit auctor "a concilio episcoporum conficitur, quorum tres, vel ad minus duo (*Can. Apost. i.*) adesse debent; si quidem omnibus episcopis aequa est sacerdotii gratia, aequa iura spiritualis potestatis; unde sequitur ut unus episcopus episcopum, aequalis aequalem, consecrare nequeat. Namque impositio manuum, quae ad superiorem potestatem pertinet, concilio proprium est, quod solum in gradum superiorem potestatis episcopalis erigitur[1]." Cuius opinionis ratio est quod solus episcopus ad gradus inferiores quemlibet ordinare possit, ad gradum autem quo ipse constitutus est alium promovere nemo debeat; nulla autem episcopali dignitate maior potestas in ecclesia exstet, praeter eam quam plures episcopi in concilio congregati pariter exerceant; quo circa et episcopi comministrantes munus consecrationis pariter et conciliariter impendunt.

4. Necnon inter theologos Latinos haec sententia iam communior evasit. Antiquiores non desunt scriptores qui eam receptam fuisse paulo obscurius indicent. Baeda (*Hist.* iii. 22, 28) testatur Finanum Ceddam consecrasse "vocatis ad se in *ministerium ordinationis* duobus aliis episcopis," et S. Ceaddam a Wina promotum fuisse "assumptis *in societatem ordinationis* duobus" episcopis. In *vita S. Anschari*, 12, legimus eum a Metropolitano, duobus aliis episcopis assis-

[1] "Рукоположеніе во Епископа совершается соборомъ Епископовъ, по крайней мѣрѣ—трехъ, и не менѣе—двухъ (Апост. прав. 1); ибо Епископы имѣютъ равную благодать священства и равныя права духовной власти; посему одинъ Епископъ не можетъ рукоположить другаго, равный равнаго. А какъ рукоположеніе есть дѣло высшей власти, то и принадлежитъ собору составляющемȳ собою высшую степень епископской власти." (Пособіе къ изученію Устава Богослуженія Православной Церкви, Протоіерея К. Никольскаго, 1888 г., Спб., стр. 671). Nikolski, *Posobie k'izucheniju ustava Bogoslushenija*, p. 671, edit. Petriburgens. 1888. Notandum vero est ipsos Russos, quamvis in suis consecrationem conciliarem strictissime requirant, episcopi occidentalis, etiamsi ab uno tantum consecratus fuerit, characterem in praxi agnoscere, dummodo consecratio iuxta canones in hac parte receptos absque omni irregularitate confecta sit. Haec vero amici nostri rerum Russicarum admodum periti W. J. Birkbeck cura et opera nobis innotuerunt.

tentibus et *pariter consecrantibus*, fuisse promotum. Hincmarus Remensis ad nepotem suum eiusdem nominis et suffraganeum scripsit (*Op.* ii. 408) "Tuum est autem cum aliis *mecum ordinare episcopum*[1]." Ad recentiores pergamus. Notissimum est quid de hac re Martene senserit. "An vero" inquit, "omnes qui adsunt episcopi co-operatores essent, an testes tantum consecrationis inquiri posset. Verum non tantum testes sed etiam co-operatores esse, citra omnem dubitationis aleam asserendum est[2]." Plane ac lucide dictum. Attamen quidam de huiusmodi *co-operatione* ambigunt. Putat Estcourt[3] Martenium non eo tendere ut una cum praesule principaliter consecrante alii assistentes aut *divisim* aut *aequaliter* consecrationem efficiant. Ad hanc interpretationem corroborandam citat locos communes theologicos quibus distinguitur inter consecratorem et assistentes. Martene autem sententiam suam expressius declaravit quam ut hoc modo offuscetur. Verum est inter consecratorem et assistentes distinguendum esse. Quid vero ita? Nempe ut evitetur conclusio quod tres episcopi consecrantes ad gradum episcopalem conferendum ita quoad integritatem sacramenti requirantur ut promotio ab uno solo consecratore peracta nulla prorsus atque irrita foret. Hoc autem nec Martene docuit nec nos volumus. Id solum asserendum est, si qui interfuerint consecrationi assistentes, fore ut illi de facto co-operatores fiant. Ideoque Hallier, quem ex altera parte citant, cum refellerit opinionem eorum qui tres episcopos ad validam consecrationem efficiendam necessarios esse balbutiunt, atque ostenderit unum dumtaxat *consecratorem* nuncupari quia uni tantum, nempe Metropolitano, ius consecrandi proprium sit, ipse tamen animadvertit omnes *consecratores* nuncupari licuisse, cum theologorum sententia de uno unius sacramenti ministro nullo modo impediat quin omnes una simul per modum unius ministerio fungantur[4]. Tandem in

[1] Haec testimonia ex opusculo Willelmi Bright, *The Canons of the First Four General Councils*, with notes, p. 214, desumpsimus.

[2] *De Antiq. Eccl. Ritibus*, lib. i. p. iii. cap. viii. art. x. sect. xvi.

[3] *The question of Anglican ordinations discussed*, p. 110.

[4] Vide Hallier, *De Sac. Elect. et Ordin.* p. ii. sect. v. art. ii. cap. ii. § 33.

Tractatu canonico de sacra ordinatione nuperrime edito P. Gasparri eandem sententiam vel luculentius tulit, his verbis usus: "Sacerdotes quidem assistentes ex apostolico indultu nequeunt esse nisi *meri assistentes*; sed episcopi assistentes sunt probabiliter *comministri* cum episcopo consecratore. Sane una simul cum eodem ipsi manus imponunt super caput electi, et una simul pronuntiant verba: *Accipe Spiritum Sanctum,* quibus solis iuxta receptam sententiam episcopalis consecratio valet: unde non est ratio qua unus magis minister sit consecrationis episcopalis, quam ceteri duo, sed coniunctim omnes sunt unica causa, seu unicus totalis minister consecrationis" (*op. cit.* n. 1088). Quod si quis in eo haeserit quod sententiam tantum probabilem protulit vir doctissimus, quae in theoria dumtaxat posita nihil ad praxim respiciat, praesto erit ea conferre quae in eodem opere, n. 1112, *de tutissima sententia in praxi sequenda* disseruit. Putat enim, si omissa fuerit impositio manuum solius episcopi consecrantis, aliis assistentibus episcopis, consecrationem ne sub conditione quidem esse repetendam. Et hoc quidem tutissimum. Plane utique docet assistentes episcopos, deficiente consecratore principali, divisim ab eo characterem episcopalem imprimere ac valide consecrare. Hanc autem tanquam receptam sententiam absque disputatione protulit.

5. Quibus perpensis liquido apparebit non a solo Parkero derivatam esse traditionem sacrorum Ordinum in ecclesiam Anglicanam hodiernam. Non solus enim ipse episcopos consecrabat, neque ab eis tantum quos ille consecrabat traducta est in nostrum tempus successio Episcoporum. Otiosum esset amplius de hac re disserere; duas tantum animadversiones hic referemus. (1°) Una cum ipso Parkero tres Episcopi, iam dudum consecrati, quattuor Episcopos die 21° Decembris 1559 consecraverunt[1], a quibus successio tandem derivata est in Willelmum Laud, Archiepiscopum Cantuariensem[2]. (2°) Omnes qui sedes antiquas Britannicas hodie obtinent stirpem spiritualem et characterem derivant ab eodem Willelmo Laud, quem consecraverunt episcopi qui non modo Anglica, ut supra notavimus, sed etiam Hibernica vel Italica origine

[1] Stubbs, *Registrum Sacrum Anglicanum*, p. 82.

[2] *Ib.* p. 93.

gaudebant[1]. Unde sequitur ut etiamsi de Parkeri consecratione dubitatum foret, non idcirco in dubium, nedum in planam nullitatem, reciderent Ordinationes Anglicanae.

II. *Narratio Rerum.*

6. Nec minus et illius consecrationem valide confectam fuisse haud aegre ostendemus. Ac primo, ut factum historice stabiliamus, opportunum erit quaedam de rebus sub eo tempore gestis explanare.

7. Ultimo igitur Mariae regnantis anno talis invaserat pestilentia ut, regnum excipiente Elizabetha die xvij° Novembris 1558, ex septem et viginti sedibus in Anglia constitutis decem pastores desiderarent, quarum Oxoniensis usque a die 4° Decembris, 1557, Cantuariensis a morte tantum Card. Poli, qui reginae Mariae paucas horas superfuerat, vacabant[2]. Nec vero et alii qui ceteras sedes obtinebant episcopatum iure inconcusso atque indubio exercebant. Namque Hethe in sedem metropoliticam Eboracensem intrusus erat, adhuc vivente Roberto Holgate, quem Maria auctoritate mere regia nec certe legitima extruserat[3]. Alii quamplures in episcopatus illegitime intrusi erant absque consensu Metropolitani Cantuariensis Thomae Cranmeri, qui etsi non ante mensem Februarium 1556 dubio iure deprivatus esset[4], tamen post mensem Novembrem 1553 iurisdictio metropolitica penes Capitulum Cantuariense, tanquam sede vacante, illegitime fuerat[5]. Atqui iuxta celeberrimum Conc. Nicaeni canonem

[1] Vide Tabulam Laudi Consecrationis in App. i.

[2] Dixon, *History of the Church of England*, vol. iv. pp. 725–728.

[3] Vide infr. n. 217.

[4] Gams, *ad loc.*, hanc deprivationem ignorat, eique tribuit sedem occupatam usque ad mortem 21 Mart. 1556.

[5] Exstat Registrum Decani et Capituli in quo continentur Acta et Instrumenta huius praetensae vacationis causa expedita, quibus aperte indicatur Cranmerum non nisi civili potestate amotum fuisse; namque omnia sic incipiunt: "Nicholaus Wotton utriusque iuris doctor, decanus ecclesiae cathedralis et metropoliticae Christi Cantuar. et eiusdem ecclesiae capitulum, ad quem et quos omnis et omnimoda iurisdictio spiritualis et ecclesiastica quae ad archiepiscopum Cantuariensem sede plena pertinuit, ipsa sede iam *per attincturam Thomae Cranmer ultimi Archiepiscopi eiusdem de alta proditione attincti et adiudicati* vacante, notorie dignoscitur pertinere."

vi., *Si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum Magna Synodus definivit non debere esse Episcopum*[1]. Ergo, ut ait Beveregius, penes Metropolitanum est omnes Episcoporum ordinationes et electiones in Provincia sua celebratas confirmare; adeo ut sine eius consensu et confirmatione irrita sit episcopi cuiusvis ordinatio[2]. Diram igitur confusionem iste regiae potestatis abusus induxerat; nec nisi quattuor tantum praesules episcopatus suos pleno et certo iure obtinebant. Hi fuerunt Cuthbertus Tunstall Dunelmensis, Edmundus Bonner Londiniensis, Antonius Kitchen Landavensis, et Thomas Stanley Sodorensis.

8. Nec vero Elizabetha ab eodem abusu temperare voluit. Nam post aliquot menses cum lata esset in Parliamento lex de regia supremitate[3], ab omnibus fere Episcopis exactum est iuramentum, quod cum illi accipere noluissent, mox maior pars a sedibus depulsi sunt. Quorum in primis erat Hethe Archiepiscopus Eboracensis intrusus; nec multo post alii quoque intrusi omnes, atque ex aliis Tunstall et Bonner destituti sunt. Restabant igitur post mensem Octobrem 1559 duo tantum episcopi sedes suas de facto occupantes, Kitchen Landavensis in provincia Cantuariensi, et Stanley Sodorensis in provincia Eboracensi. Erant praeterea plures Episcopi suffraganei, seu co-adiutores, qui novis rebus sese libenter accommodarent[4].

9. Interea per eandem legem instaurato antiquo eligendi modo, regina licentiam iuxta morem Capitulis Ecclesiarum vacantium direxit, et expeditae sunt electiones[5]. Per litteras die

[1] *εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον.*

[2] Scilicet quoad exercitium officii. Beveridge, *Pandectae Canonum*, tom. ii. Annot. p. 59.

[3] 1 Eliz. cap. 1. Notandum est Elizabetham titulum *Supremi Capitis Ecclesiae Anglicanae*, quem usurpaverant Henricus viii. Edwardus vi. et ipsa Maria, nunquam sibi arrogasse.

[4] Johannes Hodgekyn Bedfordensis, Johannes Salisbury Thetfordensis, qui postmodum in sedem Sodorensem translatus est, Thomas Sparke Berwicensis, Robertus Pursglove Hullensis, Willelmus More Colcestrensis. Cf. Brett, *Bishops Suffragan*, pp. 49–50.

[5] Modus electionis, in quantum a regia voluntate dependet, describitur in statuto 25 Henrici viii. cap. 20, § 3, "A Lycence under the greate seale as of old

18° Julii 1559 datas ad sedem Cantuariensem nominatus est[1] Matthaeus Parker, quondam reginae Annae, Elizabethae matri a sacris, nuperius Ecclesiae Cathedralis Lincolniensis decanus. Regnante Maria promotiones suas declinaverat, nec tamen solum, sicut alii quamplures, mutaverat, sed in Anglia moratus vitam tranquillam degerat. Itaque recepta licentia Canonici Ecclesiae Metropoliticae Cantuariensis primo die Augusti eundem dominum Matthaeum Parkerum *iuxta morem antiquum et laudabilem consuetudinem ecclesiae praedictae in hac parte ab antiquo usitatum et inconcusse observatum* in Archiepiscopum elegerunt, et electionem sub sigillo suo communi reginae significaverunt[2]. Porro notatu dignum est, quae fuerit horum factorum regularitas, eundem Nicolaum Wotton, qui ecclesiam post Cranmerum amotum administraverat, Polique electioni providerat, hanc quoque electionem per modum compromissi ipsum perfecisse.

10. Proinde mensis Septembris die 9° *litterae patentes*[3] iuxta statutum 25 *Henr. viii.* c. 20, § 4, expeditae sunt, quibus sex episcopi nominabantur qui Parkerum in Archiepiscopum confirmarent et consecrarent; quae tamen litterae, renuentibus Tunstallo Dunelmensi, Bournio Bathonensi, et Polo Petriburgensi, irritae fiebant. Exinde nova quaedam et inopinata quaestio de legibus regni observandis reginae consiliariis offecit. Namque illud statutum, nuperrime (1 *Eliz.* c. 1. § 7) redintegratum, postulabat ut Metropolitanus aut ab Archiepiscopo cum duobus aliis, aut saltem a quattuor Episcopis sedes intra regnum obtinentibus confirmaretur et consecraretur; eo autem tempore neque Archiepiscopus nec praeter eos qui iam renuissent quattuor Episcopi reperiri

time hath byn accustomed to p'cede to elexion of an Archbishop or Bishop soo being voyde with a letter myssyve conteyning the name of the persone which they shall elect and choose." Id est, *Licentia sub magno sigillo, iuxta antiquam consuetudinem data, qua permissum est ut eligatur Archiepiscopus aut Episcopus ad sedem vacantem, una cum litteris missivis quibus nomen personae eligendae adhibeatur.* Fusius de hoc modo eligendi in App. ii. tractavimus.

[1] *Rolls Patents*, 1 Eliz. p. 6; Rymer, *Foedera*, vol. xv. p. 526.

[2] Processus electionis totus in App. iii. relatus est.

[3] *Rolls Patents*, 1 Eliz. p. 2; Rymer, vol. xv. p. 141. De litteris patentibus tali modo editis ut falsarias subintroduci prorsus impossibile sit, vide Mason, *Vindic. Eccl. Angl.* lib. iii. cap. xviii.

poterant, qui sedes Anglicas iuxta leges regni legitime occuparent. Erant quidem in Hibernia et Archiepiscopus Dubliniensis Hugo Curwen, et alii Episcopi novis rebus satis conformati, ad quos recurri potuisset[1], nec satis compertum habemus curnam ex hac parte dubium non fuerit solutum. Quippe res Hibernicae id temporis admodum confusae erant, nec tali auxilio fortasse homines politici res Anglicas sublevandas putabant. Neque in hoc solo haeserunt. Nam de ritu adhibendo altera quaestio vexabatur. Liber enim *Edwardinus*, quem vocant, per statutum 1 *Phil. et Mar. sess. 2, c. 2*, penitus ab usu sublatus, nec illo quidem abrogato in usum redintegratus erat. Nempe lex illa *de Uniformitate* iam hoc anno lata cultum quidem publicum respexit, et *Librum Precum Publicarum* post festum Nativitatis S. Johannis Baptistae in omnibus ecclesiis parochialibus usurpari iussit[2]; sed de ritibus sacrarum Ordinationum omnino siluit. Quocirca iam dubium erat quonam ritu consecrationes novorum episcoporum confici deberent.

11. His rebus adeo in dubitatione positis Willelmus Cecil, Reginae a secretis, consilium cum Parkero inivit[3]; cuius rei testimonio exstat hodie in Tabulario Publico prolusio quaedam de modo in hoc casu agendi ab officiali aliquo proculdubio scripta, cuius in margine tum ipse Parker notam addidit, tum Cecil propria manu duas istas quaestiones animadvertit. Notat enim *non praesto esse Archiepiscopum nec quattuor episcopos*, itemque *Librum Ritualem auctoritate Parliamenti non fuisse stabilitum*[4]. Quae cum diutius delibe-

[1] Id certe lex permittebat; non enim de regno Angliae speciatim mentio fit, sed de regionibus Regis ditioni subiectis, quarum erat Hibernia; et iuxta hanc legem Metropolitanus Dubliniensis ab Archiepiscopo Cantuariensi iam antea consecratus erat. Rymer, vol. xiv. p. 560. Hugo Curwen anno 1567 translatus est in sedem Oxoniensem.

[2] 1 Eliz. c. 2, § 2.

[3] Strype, *Parker*, bk. i. p. 40.

[4] *State Papers, Dom. Eliz.* 1559, July, Vol. v. Ostendit Estcourt (p. 87) hanc cartulam isti volumini non debuisse inseri; namque apparet eam non ante 30um Sept. scriptam fuisse, quo tandem die, cum duo ex episcopis in litteris patentibus 9º Sept. datis nominatis amoti fuissent, iam non remanebant in sedibus suis *quattuor episcopi*. Itaque ad hoc tempus pertinet, quo sollicite quaerebatur quomodonam procedendum esset. Cecil haec verba scripsit *There is no Archb. nor iiij bishopps now to be had. Wherefore quaerendum &c.*; cumque de ritu

rata essent, tandem die 6° Decembris 1559 novae Litterae Patentes septem episcopis ibidem nominatis directae sunt, quibus permissum est ut Archiepiscopum electum confirmarent et consecrarent[1]. Erant Antonius Kitchen Landavensis, qui solus ex episcopis provinciae Cantuariensis sedem suam iam actu retinebat, Willelmus Barlow olim Bathonensis nunc Cicestrensis electus, Johannes Scory olim Roffensis episcopus deinde in sedem Cicestrensem iure plenam intrusus, unde expulsus tandem a Bonnero ad exsecutionem officii intra dioecesim Londiniensem admissus erat[2], Milo Coverdall a sede Exoniensi regnante Maria extrusus, Johannes Hodgekyn suffraganeus Bedfordensis, Johannes Salisbury suffraganeus Thetfordensis, et Johannes Bale qui sedem Ossoriensem in Hibernia iure obtinebat.

12. His Litteris Patentibus consilio et opere sex virorum in iure ecclesiastico doctorum[3] redactis accessit illa clausula celeberrima, qua regina quaestiones omnes quae mandati exsecutionem impedirent suprema sua auctoritate praecidit. Haec sunt verba:—"Supplentes nihilominus suprema auctoritate nostra regia ex mero motu et certa scientia nostris, si quid aut in his quae iuxta mandatum nostrum praedictum per vos fient, aut in vobis aut vestrum aliquo, conditione statu facultate vestris, ad praemissa perficienda desit, aut deerit, eorum quae per statuta huius nostri regni aut per leges ecclesiasticas in hac parte requiruntur aut necessaria sunt, temporis ratione et rerum necessitate id postulante."

13. Jam vero apertum est hanc clausulam eo tantum spectasse ut cum impedimentis mere legalibus dispensaretur.

Libri Edwardini observando mentioni incideret haec notavit *This booke is not established by parlement.*

[1] In *Registro Parkeri* continentur. Vid. App. iii. Exstat in Tabulario huius instrumenti originale exemplar cum chirographis iurisconsultorum. *State Papers, Dom. Eliz.* vol. vii.

[2] Vide infr. cap. vi.

[3] Hi sunt: W^mus^ Mey, decanus Eccl^ae^ S. Pauli Londiniensis; Rob^tus^ Weston, postmodum Justiciarius et Cancellarius Hiberniae; Edw^dus^ Leedes, Aulae de Clare apud Cantabrigienses Magister et regnante Maria Vicarius Gen. dioec. Eliensis; Henricus Harvey, Aulae SS. Trinitatis ibidem Magister; Thomas Yale, Matthaei Parkeri Cancellarius; Nic. Bullingham, Archidiaconus Lincolniensis. Haddan in *Bramhall*, vol. iii. p. 180.

Defectus enim pure spirituales, quos referri putat Estcourt[1], regina nequaquam *supplere* potuit, neque eo tempore quisquam huiusmodi potestatem ei tribuebat. Namque ipsi Praesules et Doctores Anglicani qui has litteras expedierunt vel receperunt post paucos menses doctrinam de regia supremitate his verbis tradebant:—"Cum Regiae Maiestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus regibus nostris aut verbi Dei aut sacramentorum administrationem, quod etiam iniunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editae apertissime testantur, sed eam tantum praerogativam, quam in sacris Scripturis a Deo ipso omnibus piis Principibus videmus semper fuisse attributam, hoc est ut omnes status atque ordines, fidei suae a Deo commissos, sive illi ecclesiastici sint, sive civiles, in officio contineant et contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant[2]." Nihil igitur in hac re potuit regina nisi quod provideret ut episcopi officio suo fungentes, legibus tam civilibus quam ecclesiasticis obtemperarent, atque omnia iuxta morem perficerent. Quae cum illi ob temporis rationem et rerum necessitatem praestare vix poterant, sane regiae potestatis erat huiusmodi defectus supplere, ministrantesque episcopos ab omni poena iuribus regni ferenda liberare. Ad valorem autem sacramenti haec nullo modo spectant.

14. Eandem huius clausulae rationem hisce potissimum argumentis probamus. *Primo* referimus ea quae Bonner, cum anno 1563 ad iuramentum de regia supremitate adactus esset, Horno episcopo Wintonensi obiecit. Nam lege hoc anno lata qua provisum est ut iuramentum *coram episcopo* praestaretur, Bonner, qui in carcere Marischalcano intra dioecesim Wintonensem detinebatur, coram Horno ad iurandum delatus obiecit *eum non esse legitimum episcopum*, quia scilicet iuxta statutum 25 *Henrici viii. cap.* 20 ab Archiepiscopo duobusque

[1] *Op. cit.* p. 90. Putat ille verba de *statu* Episcoporum commissariorum defectum *characteris Episcopalis*, nempe in casu Barlovi, respicere.

[2] Ex *Articulis Religionis* anno 1562 a convocatione Cantuariensi sancitis, no. 37. His Articulis subscripsit ipse Nic. Bullingham nunc Episcopus Lincolniensis. Vide Collier, *Eccl. Hist.* vol. vi. pp. 360, 371.

aliis non esset promotus, sed a Parkero, qui cum *a quattuor episcopis sedes occupantibus prout statutum requireret ipse non esset consecratus*, legitimus Archiepiscopus nullo pacto evasisset[1]. Magna inde confusio orta est, dubitabantque iudices an ista defensio iure sufficeret. Quocirca lex lata est anno 1566 (8 *Eliz. cap. i.*) ad stabiliendam episcopis tam sedium possessionem legalem quam potestatem coactivam, qua cautum est ut omnes consecrationes inde ab Elizabetha regnum excipiente confectae pro legitimis iuxta regni leges et iura haberentur. Qua in lege huiusmodi tantum cavillationes mere legales referuntur, et clausula de qua agitur, ad eas praescindendas tanquam ex abundanti cautela inserta fuisse memoratur[2]. *Deinde* hisce verbis dispensatoriis respici quaestionem istam de legibus observandis testatur etiam Sanderus, quo nemo unquam infestior Elizabethae episcoporumque Anglicanorum insectator exstitit. "Elizabetha," inquit, "ita haec per litteras patentes conferebat, ut tamen oportuerit eos quibus collata erant a certis personis ac ritu etiam certo secundum leges Regni ordinari[3]," quae omnia monet perridicule accidisse; nam reginae consiliarii legem quam de promovendis episcopis ipsi tulerant[4], ita exsequendam curaverunt ut novis praelatis titulos inconcussos non nisi lato et alio quodam statuto praestare possent. *Postremo*, ut evidentius fiat quantum de ritu dubium exstiterit, memoratu dignum est legem de promovendis episcopis et de ritu in consecrationibus adhibendo (*A Bill for collating of Bishops by the Queen's Highness, and with what rites and ceremonies*) anno 1559 incipiente in Parliamento rogatam esse; cui cum Domus Inferior suffragata esset, in Domo Procerum postquam prima vice, sub titulo *A Bill for admitting and consecrating Archbishops and Bishops*, die 22° Martii lecta erat, nihil amplius de ea relatum est[5].

[1] *Harleian MSS.* 421. Strype, *Annals*, vol. i. pt. i. pp. 5 seqq. Coke, *Institutes*, pt. iv. c. 77.

[2] De hoc statuto plura disseruimus n. 32.

[3] *De Origine ac Progressu schismatis Anglicani*, fo. 165 seqq. Cf. Lingard, in *The Birmingham Catholic Magazine*, vol. v. p. 778.

[4] Sc. statutum 25 Hen. viii. cap. 20, quod per 1 Eliz. cap. 1 renovatum est.

[5] *Commons Journals*, vol. i. p. 58. *Lords Journals*, vol. i. p. 568.

15. His igitur de processu legali adeo vexatis quaestionibus, clausula dispensativa ad episcopos ministraturos tuendos Litteris Patentibus necessario accessit. Alioquin satis probabile erat eos poenis de *Praemunire* obnoxios fore; quae lex celeberrima eos saevissime perstringebat qui munus quodcunque ecclesiasticum contra leges et iura regni exercuissent. Imo fatetur Hutton[1] hanc dispensationem ad ratihabitationem facti potius legalem quam spiritualem spectare.

16. Tandem die 9° Decembris 1559, Londinii in ecclesia S. Mariae de Arcubus, electionem Parkeri iuxta has Litteras Patentes confirmaverunt Willelmus Barlow, Johannes Scory, Milo Coverdall, Johannes Hodgekyn; cuius rei notariorum testimonia in Registro Parkeri exstant. Processum canonicum accuratissime exsequebantur[2]; omnia publico iure fiebant; in loco usitato[3] more solito res tota confecta est; nemo ad contradicendum sese opposuit; non episcopus extrusus, non clericus, non laicus homo. Pars maior tam procerum quam cleri totius regni novis rebus infensi, veteris disciplinae fautores exstabant; nemo tamen protestatus. Omnium quibus haec curae erant consensu, aut verbis aut saltem tacite lato, Parker ecclesiae Cantuariensi in pastorem praefectus est.

17. Mox autem, die 17° Decembris 1559, in sacello palatii archiepiscopalis Lambethani ab eisdem quattuor episcopis consecratus est. Ritus et caerimonias Libri Edwardini adhibuerunt episcopi ministrantes, ea tamen conditione ut omnes non modo manus super caput electi imponerent sed etiam una simul verba consecratoria pronuntiarent. In Rituali quidem provisum est ut Archiepiscopus, aut is qui Archiepiscopi vicem gereret, haec verba solus proferret[4]. Sed

[1] *The Anglican Ministry*, p. 116.

[2] Vide App. iii.

[3] In ecclesia S. Mariae de Arcubus, iurisdictioni Archiepiscopi Cantuariensis immediate subiecta, curia Provincialis olim sedebat, quapropter etiam nunc *Curia de Arcubus* vulgo nuncupatur.

[4] Simultaneae tamen verborum prolationis exemplum erat in Pontificali Edmundi Lacy, Ep. Exoniensis A.D. 1421. *Lib. Pontif.* p. 96. Maskell, *Monumenta Ritualia*, vol. iii. p. 258. Hodie in Pontificali Romano huiusmodi prolationem adhiberi nemo nescit.

consecrationi Parkeranae neque Archiepiscopus interfuit, nec quisquam Archiepiscopi partes agebat. Munus consecrationis episcopi comprovinciales aequo iure impenderunt, una voce consecrationis formam pronuntiarunt. Haec omnia in Registro accuratissime memorantur.

18. Parker hoc modo consecratus per procuratorium iure ac rite inthronizatus est iuxta mandatum quattuor episcoporum consecrantium die 31° Decembris datum. Archidiaconus Cantuariensis, ad quem id munus ex iure antiquissimo pertinet, cum ipse in sua persona quod praescriptum erat peragere nequiret, procuratorem die 1° Januarii pro hoc negotio nominavit, qui tandem Archiepiscopum in plenam et canonicam Ecclesiae Metropoliticae possessionem induxit. Haec quoque in Registro memorantur. Temporalia vero Sedis die 21° Martii per Litteras regias, post *fidelitatem* solito more factam, Archiepiscopo restituta sunt[1].

III. *Probatur consecratio.*

19. Jam vero de his omnibus testimonia luculentissima perhibet Registrum Parkeri, adhuc in Palatio Lambethano asservatum. Accuratissime digestum, primo ipsius Antonii Huse principalis registrarii chirographo scriptum, deinde post eius mortem eadem cura continuatum hoc Registrum tum Parkeri habitus methodicos optime illustrat, tum rerum notitiam sinceram et contemporaneam praebet[2].

20. Non hoc loco fabulas pueriles, declamationes rhetoricas, falsorum insimulationes examinabimus, quibus aliqui Parkeri consecrationem in dubium revocare conati sunt. Harum rerum indagatores quamvis invitos et fessos nos aliquando evadere necesse erit; sed ne in tantis ineptiis diutius morati lectorem taedio afficiamus, omnia huiusmodi in appendicem operis reicere libuit. Eo tandem pergat qui talia legisse voluerit. Testamur Registrum. Hoc si quis incusaverit defensionem agemus; qua tamen vix opus fore

[1] *Rolls Patents*, 2 Eliz. p. 14; *Rymer*, vol. xv. p. 573; Strype, *Parker*, bk. ii. ch. i.; Collier, *Eccl. Hist.* vol. ix. p. 321, *Records*, lxxxi. (edit. 1852).

[2] Rationem criticam huius Registri in Appendice iii. dedimus.

arbitramur, siquidem huiusmodi testimonia falsare doctissimus quisque paene impossibile esse affirmat.

21. Nec quidem huius Registri tantum utimur testimonio. Quippe mirabile est dictu quot exstent documenta tum manu scripta tum typis excusa, quibus certo certius demonstretur, Parkeri consecrationem Lambethae, die 17° Decembris 1559, iuxta ritum Edwardinum confectam fuisse. Cuiusmodi testimonia aliquot exinde referemus. Nec tamen haec omnia lectori benevolo tanquam necessario perlegenda proponimus. Si quis iam factum historicum pro satis comperto habuerit, ea quae in hoc capite sequentur prorsus negligat, dummodo ad rationes, obiectiones, responsiones quas inferius proferemus expendendas festinet. Contra si quis adhuc in dubio haeserit, utrum Parker huiusmodi consecrationem reipsa acceperit, eum rogamus ut haec etiam quae proinde exponemus diligenter perscrutetur, quibus perpensis speramus fore ut fides harum rerum vel invitis fiat.

22. Est in Museo Britannico inter codices Foxios apographum[1] manu contemporanea scriptum, quo consecrationis ritus et caerimoniae eisdem fere verbis atque in Registro explanantur. Item penes Bursarium Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis exstat pulcherrima descriptio rituum in consecratione adhibitorum in magno folio pergameno scripta, quae verbis tantum ab actis in Registro Lambethano digestis discrepat. Hanc rettulisse videtur Comes Nottinghamiae, qui cum regnante Jacobo I. fabulae istius diversorianae in concilio intimo regis mentio fiebat, testatus est se documentum quoddam ipso consecrationis tempore redactum vidisse et perlegisse; post aliquot autem annos se ex archiepiscopo, quo familiariter uteretur, audiisse hoc documentum ad Collegium Corporis Christi Cantabrigiense fuisse missum, ut illic in bibliotheca repositum, in perpetuam rei memoriam asservaretur[2]. Ibidem conferre licet *Rotulum* in quo ipse Parker inter alia vitae suae memorabilia haec annotavit:— "17 Decembr. Anno 1559. Consecratus sum in Archiepis-

[1] *Harleian MSS.* 419, fo. 149; vide App. iii.

[2] Burnet, *edit.* Pocock, vol. v. p. 553. De hoc vide plura in App. iii. Cf. Bramhall, *Works*, vol. iii. pp. 213 seqq. in *Bibliotheca Anglo-Catholica*.

copum Cantuar. Heu! Heu! Domine in quae tempora servasti me? Jam veni in profundum aquarum et tempestas demersit me. O Domine vim patior, responde pro me: et Spiritu Tuo principali confirma me."

23. Deinde citamus *Librum Diarium* cuiusdam Henrici Machyn, mercatoris Londiniensis, qui ipso tempore, id quod dubitari vix potest, haec memorabilia notavit:—"Die xvij° Decembris novus episcopus [Cantuariensis] doctor Parker Lambethae confectus est.—Die xx° Decembris ante meridiem in vigilia S. Thomae dominus Cantuariensis ad ecclesiam de Arcubus pervenit, atque ibidem V novi episcopi confecti sunt[1]." Jam patet hoc testimonium magni esse ponderis, cum praesertim plane impossibile sit scriptorem nostram controversiam respexisse: alioquin, ut recte monet Estcourt (*op. cit.* p. 99), in testimonium iamdudum delatus fuisset. Nemo autem de his verbis quaestionem egit donec liber typis mandatus his paucis annis in lucem prodiit. De veritate libri manuscripti cum quidam anno 1861 dubium ingerere conati essent, viris admodum ingenuis atque in arte palaeographica peritissimis examinandus propositus est, qui omnes certissimo asseruerunt intemeratum esse Machyni autographum[2], neque ullam esse rationem qua falsum insimularetur. Eadem testatur Estcourt (*loc. cit.*) qui una cum amico suo J. Stevenson, viro in tractandis codicibus antiquis admodum perito, manuscriptum inspexit; quibus persuasum est nullum prorsus esse dubium quin ea genuina sint quae superius rettulimus.

24. Eiusdemmodi testimonium contemporaneum atque, ut ita dicamus, inopinatum, afferunt *Epistolae Tigurinae*, a quibusdam Anglis ad Reformatores Tigurenses scriptae, quae Tiguri in tabulario publico asservantur. Has epistolas in Anglia illatenus incognitas Gilbertus Burnet anno 1668 a certis testibus transcribendas curavit, qui tamen nil nisi excerpta quaedam ad quaestionem nostram minime perti-

[1] "The xvij day of Desember was the nuw byshope of [Canterbury] doctur Parker was mad ther at Lambeth.

"The xx day of Desember a for non was sant Thomas evyn, my lord of Canterbure whent to Bow Chyrch and ther wer v nuw byshopes mad."

[2] *Notes and Queries*, ninth series, Nov. 11, 1861, p. 493.

nentia typis mandavit; neque ante annum 1842 textus in extenso fuit editus. Quid vero inde reportabimus? Nimirum privati quidam, scriptis ad familiares de rebus domesticis epistolis, Parkeri et aliorum consecrationes ita obiter animadvertunt, ut argumento ineluctabili istas consecrationes vere confectas fuisse demonstrent. Exempli gratia Juellus ad Petrum Martyrem mense Julio 1559 haec scribit:—"Quidam ex nostris designati sunt episcopi, Parkerus Cantuariensis, Coxus Norvicensis, Barlovus Cicestrensis, Scoraeus Herfordensis, Grindallus Londinensis (nam Bonerus iussus est cedere): qui quando adituri sint possessionem nescio." Idem die 16° Novembris "episcopi" inquit "adhuc designati tantum sunt: interim praedia pulchre augent fiscum." Tandem die 6° Januarii scribit Sampson ad Petrum Martyrem, "Consecratio episcoporum aliquorum iam habita est. D. Parkerus Cantuariensis, D. Cox Eliensis, D. Grindal Londiniensis, D. Sandus Vigorniensis, noti tibi nomine. Unus alius Wallus etiam est episcopus, sed tibi ignotus. Sequentur brevi D. Pilkintonus Vintoniensis, D. Benthamus Coventrensis, et tuus Juellus Sarisburiensis. Brevi, inquam, ut audio, sunt isti consecrandi, ut nostro utar vocabulo[1]." De hac Lingard ita commentatus est:—"Ecquid tandem huic testimonio obici potest? Litteras habes de rebus quotidianis ab Anglo quodam ad alienigenam scriptas; imo ab eo qui prae contemptu episcopari noluisset ad familiarem qui eidem sententiae favebat. Nemo sane aut Sampsonum mendacia scripsisse aut alium quemquam litteras falsavisse suspicari potest. Nam litterae in tabulario Tigurino occultae manebant donec a Burneto accitae sunt, a quo tempore hucusque testimonia Sampsoni et ipsum Burnetum et omnem quemcunque scriptorem omnino fefellerunt. Equidem totam quaestionem hac sola epistola diremptam esse arbitror[2]."

[1] *Zurich Letters*, Epp. ix. xxiv. xxvii.

[2] "Now what can be opposed to this testimony? It is a letter from a native to a foreigner, detailing the passing events of the time, and, what is more, from one who had refused a Bishopric because he disapproved of Episcopacy, writing to a friend of the same sentiments on that subject as himself. There can be no suspicion of falsehood on the part of Sampson, nor can there be of forgery on the part of any other person. For the letters remained unnoticed in the archives of

25. Librum *de Antiquitate Britannicae Ecclesiae* imprimendum curavit Parker anno 1572, in quo vitae narrantur Archiepiscoporum Cantuariensium. Nonnullis huius libri exemplaribus accessit ipsius Parkeri vita, usque ad eundem annum 1572 conscripta. Hic eadem narrantur quae in Registro; Archiepiscopum die 17° Decembris iuxta ritum reformatum comministrantibus quattuor istis episcopis fuisse consecratum. Neque dubium est quin haec vita contemporanea sit. Namque exemplar in Bibliotheca Academica Cantabrigiensi asservatum, cui alia quaedam de rebus usque ad annum 1574 gestis in folio adventicio addita sunt, ab ipso Archiepiscopo Academiae hoc anno donatum est. Necnon et alii exemplari in Bibliotheca Lambethana reposito (cui nota capsae *MSS.* 959) Johannes Parker, Archiepiscopi filius maior, annotationes manuscriptas de patris sui vita et de tempore consecrationis addidit. Plurima quoque huic exemplari inserta sunt folia manuscripta, quorum unum (*no.* 58) testimonia contemporanea de consecratione, omnibus ad amussim relatis, accuratissime perhibet.

26. In eodem volumine *de Antiquitate*, necnon in secunda parte libri puritani de Vita Parkeri (de quo inferius) habetur Tabula episcoporum a Parkero (annis 1559–1572) consecratorum et confirmatorum. Inter cartas Collegio C. C. Cantabrigiensi a Parkero legatas repertum est autographum unde haec typis derivata fuit[1]. Anno 1561 primo digestum est; postea accedebant quotannis additamenta. Incipit ab ipsius Parkeri consecratione, quae die 17° Decembris 1559 confecta memoratur.

27. In eiusdem Collegii bibliotheca libellus manuscriptus, cui titulus *Historiola*, conservatur, in quo res gestae in ipso collegio sub magistris successivis, quorum erat Parker, inde a

Zurich, till they were called for by Burnet, and from that period to the present day the testimony of Sampson has escaped the observation both of Burnet and every other writer. To me, then, this letter alone appears sufficient to set the question at rest for ever." Lingard, in *The Birmingham Catholic Magazine*, vol. v. p. 177, A.D. 1834.

[1] Ita Estcourt, *op. cit.* p. 134. Hanc cartulam nos non repperimus. Hic vero gratias agere volumus viro rev. J. R. Harmer, Collegii bibliothecario, qui nobis has et alias res inspicientibus humanissime subvenit.

societate fundata breviter narrantur. Haec *Historiola* scripta est circa annum 1568. Duo exstant exemplaria, quorum antiquius chirographum est Johannis Joscelyn, qui Archiepiscopo a sacris erat. Huic accedit vita Parkeri, quae deinde quotannis, ut videtur, continuata tandem in eam aucta est quae cum libro *de Antiquitate* prelo data est. Ex *Historiola* Anglice reddita fuisse videtur *Vita Parkeri*, quae ad mentem Puritanorum redacta typis in Hollandia anno 1574 excusa est, auctore schismatico quodam, cui nomen Johanni Stubbs[1].

28. In Tabulario Publico plurima sunt documenta quae consecrationem Parkeri aut recte respiciunt aut certo tempore confectam fuisse oblique ostendunt. Hic in medio est conferre Litteras Regias, de quibus iam satis in superioribus diximus, et *memorandum* de consecratione facta[2]. Brevia quoque sunt Decano et Capitulo Cantuariensi de beneficiis conferendis directa, quae diebus 27° Sept. et 6° et 9 Octobr. 1559 *sede Archiepisc. Cant. vacante* data sunt[3]. Sunt etiam Litterae Patentes, die 20° Novembris *sede vacante episcopatus Londiniensis*, et die 10° Decembris, *sede vacante episcopatus Meneviensis*, de iurisdictione in illis dioecesibus exercenda, eisdem Decano et Capitulo Cantuariensi directae, quos igitur custodiam spiritualitatis adhuc vacante sede Metropolitica ad hunc saltem diem retinuisse liquido apparet. Cum his conferendae sunt eiusdemmodi Litterae Patentes die 18° Decembris iam *Matthaeo permissione divina Cantuariensi Archiepiscopo* datae[4]. Quippe hesterno die, 17° Decembris, Parker consecratus erat. Ideoque et hoc tandem die 18° Decembris per Litteras Regias permissum est ipsi Parkero ut quinque novos episcopos confirmaret ac consecraret[5].

29. Alia sunt Registra Ecclesiae Cantuariensis quae cum Parkerano de tempore consecrationis prorsus consentiunt.

[1] Anthony à Wood, *Athenae Oxonienses*, vol. i. fo. 589.

[2] *Dom. Eliz.* vol. vii. Dec. 17, 1559.

[3] Rymer, vol. xv. pp. 542–544.

[4] *Ibid.* vol. xv. p. 584. Cf. *Registr. Grindal.* ap. Newcourt, vol. i. p. 211. Bramhall, *Works*, vol. iii. p. 217, note *A.* (A. W. Haddan).

[5] Edmundum Grindall Londiniensem, *Rolls Patents*, 2 Eliz. p. 14. Eduinum Sandys Vigorniensem, Ricardum Davis Asavensem, Rolandum Meyrick Bangorensem, Ricardum Cox Eliensem; Rymer, xv. pp. 550–553.

Ex his est *Registrum venerabilium virorum Decani et Capituli Ecclesiae Cathedralis et Metropoliticae Christi Cantuar. Custod. spiritualitatis Archiepiscopatus Cantuariensis, sede Archiepiscopali ibidem per mortem Domini Reginaldi Cardinalis Pole ultimi Archiepiscopi eiusdem vacante, incipiens mense Novembri, Anno Domini* 1558. *Magistro Antonio Huse tunc Registrario principali dicti Archiepiscopatus Cantuariensis.* In hoc memorantur omnia quae a Decano et Capitulo facta sunt, dum iurisdictione huiusmodi pollerent. Cessat autem inde a Parkero confirmato, post Thomam Kent ad rectoriam de Tetbourne infra dioecesim Exoniensem die 8° Decembris 1559 institutum (*fol.* 106). Eiusdemmodi testimonium vel clarius perhibet *Registrum Curiae Praerogativae Cantuariensis,* in quo enumerantur Testamenta nomine et auctoritate Decani et Capituli, custodum spiritualitatis, inde a morte Card. Poli probata. Officialis huius curiae eo tempore erat doctor W. Haddon, qui nomine illorum usque ad diem 10um Decembris 1559 omnia peregit, quo tandem die de confirmatione Parkeri certior factus exinde auctoritate "Matthaei permissione divina Cantuariensis Archiepiscopi *electi et confirmati*" negotia curiae transigebat. Post diem vero 17um Decembris haec verba *electi et confirmati* omittuntur. Unde constat Parkerum ante diem 10um Decembris confirmatum, ante diem 18um consecratum fuisse. Cui rei consentaneum est huius Curiae instrumenta post hunc diem expedita *anno primo consecrationis* Parkeri esse data. Exempli gratia, litterae quibus officium iudiciale eidem Haddono prorogatum est datae sunt "22 *Decembr. An. Dom.* 1559, *et nostrae consecrationis an.* 1°.[1]"

30. Huc referantur et *Annales Elizabethae* a viro inter scriptores rerum gestarum eminentissimo Willelmo Camden exaratae, qui anno 1551 natus rerum quae regnante Elizabetha agebantur perscrutator eximius evasit, necnon et multarum rerum ab ipso Cecilio, reginae secretario, notitiam habuit. Ex huius operis pag. 38 constat Parkerum Lambethae ab istis episcopis qui in Registro memorantur, Grindallum vero aliosque ab ipso Parkero fuisse promotos.

[1] *Reg. Curiae Praerog.* fol. 2.

31. Imo nonnulli scriptores ex partibus adversariorum testimonia de consecratione facta perhibent, quae rhetoricis quorundam declamationibus opponi debent. Inter Codices Cottonianos in Museo Britannico asservatur libellus quem tempore Elizabethae scriptum fuisse certum est[1]. Auctor episcopis Anglicanis infensus testimonium nullo praeiudicio in partes nostras divaricatum praebet. Equidem Parkero *illicitam* consecrationem obiectam fuisse his fere verbis asserit:—"Cum legibus cautum sit ut archiepiscopi consecrationi episcopi tres ad minus assistant, obiectum est quod istius consecrationi ne unus quidem episcopus adfuerit. Nam Barlow, Scory, Coverdall, et Bale, quamvis tempore Edwardi regis episcopi evasissent, tempore Mariae reginae deprivati neque adhuc rehabilitati fuerant; suffraganei vero Bedfordensis et Thetfordensis praedicto tempore Mariae R. per statutum Parliamenti deprivati sunt. Itaque praesumptum est quod nullus episcopus praedicti archiepiscopi consecrationi interfuerit[2]." Istaec vero ostendunt, 1° Parkerum consecratum fuisse, et 2° consecratores eius ex eis fuisse qui in Litteris Regiis die 6° Decembris 1559 datis nominantur. De ritu autem in consecratione Parkeri adhibito haec testatur Stapleton:—"Primo anno reginae nostrae serenissimae statutum de creandis et consecrandis episcopis, anno 28 [potius 25] Henrici latum, redintegratum fuit; nec tamen episcopi iuxta hoc statutum ordinati sunt, sed iuxta aliud regnante Edwardo latum, regnante autem Maria abrogatum, nec tandem praedicto anno primo redintegratum[3]." Stapleton

[1] *Cleopatra*, F. 1, fol. 45.

[2] "For whereas by Law three bishops at the least ought to be at the consecrating of an Archbishop, it was pretended that at his consecration there was never a Bishop at all. For Barlow, Scory, Coverdall, and Bale, albeit in King Edward's days they were Bishops, yet were they deprived in the time of Queen Mary and not restored again. And the two Suffragans of Bedford and Thetford were in the said time of Queen Mary deprived by Act of Parliament, so as it was supposed there was not one Bishop at the said Archbishop's Consecration."

[3] "In the first year of our gracious Queen the Act of Parliament for making and consecrating of Bishops made the 28 of King Henry was revived; and yet the Bishops were ordered not according to the act, but according to an act made in King Edward his days, and repealed by Queen Mary, and not revived the said

igitur aperte affirmat Parkerum aliosque iuxta ritum Edwardinum consecratos fuisse. Idem tamen in eodem libro episcopos Anglicanos insectatur tanquam si officium pastorale nulla prorsus consecratione accepta, nullis aliorum episcoporum manibus impositis, sibi arrogassent. Ideoque docet Estcourt (*op. cit.* p. 126) eum aliosque eiusdem generis scriptores, cum talia iactitarent, non factum sed valorem consecrationis impugnasse. Imo potius nobis quidem videntur in praesules Anglicanos vanas obiurgationes ita vomuisse, ut se ipsos incautiores refutent.

32. Deinde ut Parkerum iuxta ritum Edwardinum revera consecratum fuisse ostendamus, statutum 8 *Eliz. cap.* 1 citabimus, quod propter litigium Bonneri cum Horno latum est[1]. Hoc vero statutum *quaestiones ambiguas* respexit, quibus archiepiscopo et episcopis obiciebatur, quod inde ab Elizabetha regnante illegitime confirmati investiti consecrati fuissent. Itaque ut causidicorum cavillationes penitus tollerentur, (1) ostensum est clausulam istam *Supplentes* Litteris Patentibus insertam fuisse quo facilius quaestiones eiusmodi curiosae dirimerentur, et (2) statutum est (i) ut *Ordinale* tempore Edwardi VI. annexum *Libro Precum Publicarum*, qui anno primo Elizabethae in usum revocatus erat, pleno iure stabiliretur, (ii) ut omnia, quae in cuiusvis consecratione iam antea facta essent pro bene ac recte ab initio perfectis haberentur; necnon (iii) ut ei, qui antehac iuxta praedictum *Ordinale* munus consecrationis accepissent, iure promoti et consecrati pronuntiarentur. Ex hisce patet (*a*) statutum ad Parkerum perinde ac ceteros episcopos spectare, cum clausula *Supplentes*, quae in solo eius casu Litteris Patentibus accessit, referatur, atque ideo (*b*) Parkerum iuxta ritum Edwardinum revera consecratum fuisse; alioquin ex hac lege ferenda nihil ei proventurum fuisset, neque episcopi quos ille promoverat ab istis *cavillationibus contumeliosis* quae in statuti exordio memorantur liberati fuissent. Nimirum Lingard citatis nonnullis excerptis ostendit legem in planam nullitatem abiisse

first year." Stapleton, *A Counterblaste to M. Horne's Vague Blaste against M. Fakenham*, Pref. fo. 9 *b*. Edit. Lovanii, 1567.

[1] Supra, n. 14.

nisi Parker iuxta ritum Edwardinum consecratus esset; quo casu neque ille nec reliqui ab ipso consecrati legitime episcopi evasissent. Cecil autem ceterique consiliarii stultissimos se praebuissent si titulum, quem irrefragabilem novis Episcopis praestare vellent, ex consecratione iuxta ritum Edwardinum confecta, quam nullam fuisse scirent, lege derivassent[1]. Simili modo docet Estcourt (*op. cit.* p. 100) nisi Litterae Patentes revera exstitissent, quarum auctoritate consecrationes iuxta ritum Edwardinum revera confectae essent, ex hoc statuto nihil prorsus Parkero collegisque eius fuisse proventurum; quos tantae stultitiae reos fuisse ille quidem plane incredibile arbitratur.

33. Eandem rationem affert *Articulus* in convocatione cleri anno 1562 redactus et S. Synodi provincialis Cantuariensis assensu rite sancitus, qui hodie inter *xxxix Articulos* trigesimus sextus enumeratur. His verbis constat:—"Libellus de consecratione archiepiscoporum et episcoporum, et de ordinatione presbyterorum et diaconorum, editus nuper temporibus Edwardi VI. et auctoritate Parliamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad eiusmodi consecrationem et ordinationem necessaria continet, et nihil habet, quod ex se sit aut superstitiosum, aut impium; itaque quicunque iuxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt, ab anno secundo praedicti regis Edwardi usque ad hoc tempus, aut in posterum iuxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, rite atque ordine atque legitime statuimus esse et fore consecratos et ordinatos." Quibus verbis cum S. Synodus expresse definiverit eos, qui iuxta certum ritum sacros ordines suscepissent *rite atque ordine atque legitime* consecratos et ordinatos fuisse, manifestum est, si Parker consecrationem aut nullam aut alio quodam modo confectam recepisset, et ipsum et comprovinciales praesules characterem suum proprium episcopalem hac lata constitutione saltem in dubium sponte revocasse. Quod sane absurdissimum est. Ergo post consecrationem Parkeri triennio S. Synodus implicite asseruit archiepiscopum iuxta ritum Edwardinum legitime consecratum fuisse.

[1] Lingard in *Birm. Cath. Mag.* vol. v. pp. 714, 777.

34. Denique citamus episcopi Acadensis sententiam in concilio Tridentino prolatam, qui ostendit ea tantum ratione episcopos Anglicanos evincendos esse, quod *non essent a Pontifice Romano adsciti*[1]. Quae quidem censura anno quarto post consecrationes Parkeri Grindalli aliorumque habita, eas reipsa confectas fuisse sane demonstrat; alioquin Episcopis Anglicanis obici potuisset non modo defectus iurisdictionis sed etiam, quod gravius esset, defectus Ordinis.

35. His tandem testimoniis tam certis tam argutis eo adducta est controversia, ut ipse Estcourt, cui non omnia quae rettulimus innotuerant, annos abhinc viginti ingenue concesserit Parkeri consecrationem eo modo qui in Registro explanatur revera confectam fuisse[2]. In eandem sententiam abierunt fere omnes qui his annis contra valorem ordinationum Anglicanarum disseruerunt[3]. Imo rem adeo certam et probatam non nisi raro enarrant scriptores historici.

[1] Raynald, *Annales Ecclesiastici*, vol. xv. p. 287. Vide inferius, n. 251.

[2] *Op. cit.* pp. 100, 371.

[3] "Le fait de la consécration de Parker nous paraît donc absolument certain." Fernard Dalbus, *Les Ordinations Anglicanes*, p. 17. "La discussion relative aux ordinations anglicanes ne porte plus guère sur l'histoire, mais sur la valeur théologique." Boudinhon, *Le Canoniste Contemporain*, Juin 1894, p. 330.

CAP. II.

De Barlovi Consecratione.

36. Hactenus demonstravimus Parkerum Lambethae, die 17° Decembris, 1559, iuxta ritum Edwardinum revera fuisse consecratum. Quod quidem a doctioribus inter adversarios nostros communius conceditur. Consecrationem vero ita habitam, quam factam concedunt, invalidam tamen atque irritam fuisse non pauci redarguunt. Rationes diversas quidem, sed eodem spectantes, ad hanc sententiam defendendam prolatas nostrum erit expendere. Ad tria capita reduci possunt hae rationes; quorum *primum* ea quae contra Barlovum disputantur, *alterum* obiectiones e ritu oriundas, *tertium* rationes ad intentionem ministri spectantes continebit.

37. Ac primum de Barlovo talia disputantur:—"Parkeri principalis consecrator fuit Willelmus Barlow; sed ipse Barlow aut nunquam consecratus est aut saltem consecratio eius in dubio gravissimo ponitur. At characterem episcopalem quem nunquam recepisset nullo pacto alteri conferre potuit. Ergo consecratio Parkeri aut nulla fuit, aut saltem in dubio ponitur. At in tali materia dubium non tolerandum est; nempe *tutioristam*, ut inquiunt, Ecclesiam esse oportet. Ergo consecrationem Parkeri omnino pro nulla, saltem in praxi, haberi necesse est."

38. Huic obiectioni vulgari responsionem triplicem in promptu habemus. (I) Ostendemus etiamsi Barlow nunquam consecratus fuerit, Parkeri consecrationem non ideo in nullitatem ruere; (II) argumenta quibus dubium vel negatio fulcitur

nullius ponderis esse demonstrabimus; (III) certis testimoniis et rationibus Barlovi characterem episcopalem stabiliemus.

I. *Contra obiectionem a priori excipitur.*

39. Etiamsi Barlow nunquam consecratus fuerit, non ideo in nullitatem ruit Parkeri consecratio. Namque una cum Barlovo tres alii episcopi munus consecrationis ei impenderunt, de quorum charactere episcopali notitiam certam habemus. Hi fuerunt (1) Johannes Hodgekyn, episcopus suffraganeus Bedfordensis die 9° Decembris, 1537, a Johanne Stokesley Londiniensi, Johanne Hilsey Roffensi, et Roberto Wharton Asaphensi iuxta pontificale Sarisburiense nondum reformatum consecratus[1]; (2) Johannes Scory, et (3) Milo Coverdall, ad sedes Roffensem et Exoniensem in capella palatii archiepiscopalis apud Croydon die 30° Augusti, 1551, a Thomà Cranmer Cantuariensi, Nicolao Ridley Londiniensi intruso, et Johanne Hodgekyn praedicto consecrati[2].

40. Jam vero in superioribus (n. 3, 4) ostendimus hos episcopos assistentes non meros testes esse consecrationis sed vere comministros, qui unica simul operatione gratiam ordinis ita conferunt, ut si quid de uno ex eis dubitatum fuerit, tamen per ministerium aliorum dubium de confectione sacramenti auferatur. Itaque deficiente Barlovo Parkerum ab aliis recte consecratum affirmare possumus. Scoraeo quidem et Coverdallo perinde atque ipsi Parkero ea potissimum obiciuntur quae ad ritum atque intentionem spectant. Hodgekyn autem iuxta ritum antiquum ab episcopis quorum fidem atque intentionem nemo unquam impugnavit indubie promotus, consecrator Parkeri nulli prorsus obiectioni ob-

[1] *Registrum Cranmeri*, fol. 204.

[2] *Registrum Cranmeri*, foll. 333, 334. In Registro memoratum est Coverdallum in capella *Lambethana* consecratum fuisse. Hoc vero per merum scribae errorem tali modo accidisse docet Haddan in *Bramhall*, vol. iii. Pref. p. 23. Cum anno 1550 novus Liber Ritualis de Consecratione Episcoporum in usu iam esset, aliquid mutatum est in verbis memorandorum usitatis; novam autem formulam, in casu Poneti, qui Lambethae consecratus est, primo exaratam, dum scriba cautius imitabatur, in memorandum consecrationis Coverdalli nomen *Lambehythe* quoque transtulit.

noxius evasit. Ergo vix opus est ut Barlovi characteris episcopalis defensionem agamus. Nec tamen hanc negligemus. Haec enim quaestio, quamvis ad consecrationem Parkeri vindicandam haud recte attineat, suspicionum gravissimarum de toto statu nostro clericali quibusdam Catholicis causam non iniuste dedit. Primam igitur responsionem his paucis verbis absolvimus.

II. *Dubia Solvuntur.*

41. Secundam aggrediamur. Rationes quibus de Barlovi consecratione dubitatur expendamus. Ac primo quidem (1) asseritur nulla de eius consecratione acta in Cranmeri Registro archiepiscopali exstare. Et hoc verum esse lubentius concedimus. Quid vero argumenti inde requiras? Nihil sane. Namque (*a*) actorum huiusmodi omissio contra eum, qui a contemporaneis suis nemine contradicente pro vero episcopo habeatur, nihil prorsus per se redarguere potest. Ex principiis enim critices historicae constat in tali casu nudum instrumenti diplomatici defectum parum dubitationis afferre. Alioquin quaedam inconvenientia nimis absurda evenirent[1]. Porro (*b*) Registrum Cranmeri quod exstat eiusmodi est ut argumentum a silentio eius ne tantilli quidem valeat. Parkerano quod superius laudavimus hoc perquam dissimile est. Nempe compositum fuit, ut docet Haddan (*Apost. Succ.* 208 seqq.), e foliis pergamenis, mensura variatis, incuriose collectis, postmodum ut certius videtur in volumen religatis. Quaedam e propriis locis longe amota, multa praetermissa. In hoc mutilo Registro quaerendum est quid de Barlovo reipsa memoretur. Inprimis ad sedem Asaphen-

[1] Exempli gratia, si quid valeret in tali re silentium Registrorum, vide quanto dubio Cardinalis Poli consecratio afficeretur. Ei enim principalis consecrator fuit Nicolaus Hethe. Hethe autem a Stephano Gardiner Wintonensi consecratus est, *de cuius consecratione nihil in Registro Warhami reperitur.* Huc accedit ut ex quinque episcopis ad Poli consecrationem assistentibus *tres* a Bonnero consecrati fuerint, qui perinde ac Hethe dubiam consecrationem a Gardinero recepisset, *duo* autem (Pates Vigorniensis et Goldwell Asaphensis) ipsi testimonio Registri careant. Ideoque e praesulibus qui consecrationi Poli interfuerunt ne unus quidem huius dubii puerilis expers fuit. Vide Lea, *Spiritual Jurisdiction*, pp. 30–46; Stubbs, *Reg. Sacr. Angl.* p. 79.

sem electus, die 23° Februarii, 1536, quo tempore in Scotia legatione regia fungebatur, per procuratorium confirmatus est. Haec in Registro leguntur. Postea, nondum consecratus sedem Meneviensem per transmutationem[1] recepit. Ad hanc sedem iam Londinii perpaucos tantum dies[2] moratus, die 21° Aprilis eodem anno personaliter confirmatus est. Haec item in Registro; nil amplius. Memorata confirmatione nihil de consecratione additum[3]. Quid ergo? An sequitur ut nunquam consecratus fuerit? At in casu Bonneri similia perinde memorantur. Ad Herefordensem electus et confirmatus, nondum consecratus ad sedem Londiniensem translatus et confirmatus est. Haec in Registro; inde cessant acta. Quid ita? Nempe et Bonner legatione apud Francos fungebatur[4], nec tempus suppeditabat quo promotio adimpleretur. Hic autem post aliquot menses tandem consecratus est; de qua re brevis admodum annotatio in Registro digesta fuit, quae paginis duodecim ab aliis de eodem actis distat[5]. Ergo cum in utroque casu res ita se habuerint, quid mirum si acta de Barlovi consecratione, simili modo breviter ac seorsim digesta, e tali Registro quale nunc exstat Cranmeranum, prorsus exciderint? Nimirum et multa alia, quae ibidem inseri certissimo debuerunt, nusquam reperimus. Imo consecrationum et translationum, quas factas fuisse nemo ambigit, quartam fere partem praetermissam inveniet indagator[6]. Praesidente enim Cranmero episcopi undecim translati sunt, quorum quinque nullum in Registro locum habent; quadraginta quinque consecrati sunt, quorum novem[7]

[1] Vocabulum parum usitatum in actis adhibetur. Haddan in *Bramhall*, vol. iii. p. 139, in nota d.

[2] Barlovi legationem a mense Februarii usque ad diem 25um Maii parvis intervallis continuatam fuisse patet e documentis publicis ab Haddano citatis in *Bramhall*, vol. iii. p. 141, in nota m.

[3] *Registrum Cranmeri*, fol. 205.

[4] Dixon, *History*, vol. ii. p. 8.

[5] De his vide Haddani praefatum in *Bramhall*, vol. iii. p. 15, in nota e.

[6] Haddan, *Apost. Succ.*, *loc. cit.*, et *Praefatum in Bramhall*, vol. iii. p. 13.

[7] Fox Herefordensis, conscr. 26 Sept. 1535; Latimer Vigorniensis, 26 Sept. 1535; Hilsey Roffensis, 26 Sept. 1535; Sampson Cicestrensis, 11 Junii 1536; Barlow Meneviensis (1536); King Rheonensis (1536); Bell Vigorniensis, 17 Aug. 1539; Skypp Herefordensis, 23 Nov. 1539; Day Cicestrensis, 6 Maii 1543. Vide Stubbs, *Registr. Sacr. Angl.* ad loca.

acta consecrationum suarum desiderant. Praeterea ex his novem notandum est *unius* acta mediis verbis, media pagina, abrupta esse[1]; de *quinque*[2] consecrationum acta desunt, alia usque ad confirmationem adhibentur; de *tribus*[3] autem omnia desunt. Porro ne quis suspicetur solum Cranmerum aut incuria aut alia forsitan de causa talia neglexisse, animadvertendum est sub Warhami primatu consecrationes episcopales indubitate confectas fuisse sex et viginti, quarum viginti tantum in eius Registro memorantur[4]; item in Card. Poli Registro deesse duarum consecrationum[5] acta.

42. Tandem ut his finem ponamus, liquido apparet Cranmeri Registrum ita incuria maculatum esse ut e silentio eius conclusio *negativa* nulla ratione inferri possit. Huiusmodi liber ea quae continet affirmat, ea quae omisit ne dubio quidem inficit.

43. Deinceps, ne quis in eo haereat quod plurimis incommodum fuisset consecrationem praetermitti, allegatur (2) id eo facilius factum fuisse, quo melius id temporis inter *potestatem iurisdictionis* et *potestatem ordinis* distingueretur. Nempe haud inauditum erat ut episcopus electus ac confirmatus dilata in tempus opportunum consecratione dioecesim suam continuo administraret. Id fecit Bonner; ad sedem Herefordensem mense Octobri 1538 electus et confirmatus,

[1] Sc. Bell Vigorniensis, *Registr. Cranmer.* foll. 224 b–225 a. Inde sequuntur 7½ folia scriptis nuda, id quod clarius ostendit quomodonam Registrum compositum fuerit.

[2] Hi sunt Fox, Sampson, ipse Barlow, Skypp et Day. De his post sententiam definitivam confirmationis nihil memoratur, nisi quod in casu Barlovi adduntur litterae certificatoriae ad regem de confirmatione facta. Haddan in *Bramhall, loc. cit.*, in nota a.

[3] Latimer, Hilsey, King. De *King* nullum qualecumque instrumentum exstat quod vel indirecte testetur eum fuisse consecratum. Ad eius autem consecrationem vindicandam sufficit, quod usque ad quintum annum Mariae regnantis, A.D. 1557, sedem Oxoniensem nemine reclamante obtinebat.

[4] Praetermittuntur Blythe Coventriensis, 1503; Penry Bangorensis, 1504; Stanley Eliensis, 1506; Stokesley Londiniensis, 1530; Gardiner Wintonensis, 1531; necnon et Clerk Bathonensis, 1523, cuius Bulla a Pontifice Romano expedita et iuramentum de obedientia memorantur, de consecratione autem siletur. Haddan, *Praefat. in Bramhall*, iii. p. 17.

[5] Goldwell Asaphensis, et Pates Vigorniensis. Haddan, *ibid.*

ad Londiniensem autem mense Octobri 1539 translatus, consecrationem suam usque in mensem Aprilem 1540 distulit. Ita disserunt nonnulli; et vere quidem, sed, ut his rationibus argumentum suum fulciant, demonstrare debent Barlovum dioecesim suam non perinde ac Bonnerum, qui legatione impeditus menses tantum octodecim id fecerit, sed totidem annos nondum consecratum administrasse[1]. Quod si res ita se habuisset, Barlow eam tantum potestatem adeptus fuisset quam iure canonico capitulum cathedrale tanquam custodia spiritualitatis praeditum[2] sede vacante exerceat. Capitulum enim, ut docet Van Espen (*Jus. Eccl. Univ.* p. i. tit. ix. c. 1–2), sede vacante fungitur vice episcopi et succedit in omnibus quae sunt iurisdictionis ordinariae, exceptis casibus in iure expressis. Itaque capitulum cathedrale ad exemplum pristini presbyterii sive cleri sede vacante fungitur vice *pastoris*, eique incumbit curam dioecesis gerendo ea omnia facere, quae episcopus vi sui officii episcopalis agere deberet, nisi quaedam speciali iure futuro episcopo sint reservata. Ea tamen quae ordinis sunt episcopalis, cum dependent a charactere episcopali, qui nec capitulo nec singulis de capitulo communicatur, in capitulum non transeunt. Nempe potestatem iurisdictionis, quae sede vacante capitulo permittitur, si quis exerceat, *pastoris* vice atque *officio episcopali* fungitur; quo tandem modo episcopus *electus et confirmatus* dioecesim suam administrat. Nec vero et ipse totam iurisdictionem episcopalem attinet. Namque potestatem iurisdictionis divisam esse ostendit Barbosa (*de off. et. pot. episc.* p. i. tit. i. c. 1) in illam quae pertinet ad dignitatem episcopalem, et in illam quae dicitur simplicis iurisdictionis, quae inter se ea ratione distinguuntur quod de illis quae pertinent ad dignitatem episcopalem solus ipse episcopus

[1] Asaphensem scilicet usque dum in Meneviensem confirmatus; Meneviensem usque dum in Bathonensem anno 1548 translatus; Bathonensem usque dum anno 1554 amotus fuerit.

[2] Notandum tamen est in provincia Cantuariensi archiepiscopum quarundam sedium vacantium custodiam spiritualem speciali privilegio obtinuisse. Ipsa sede metropolitica vacante, capitulum Cantuariense secundum ius commune custodiam spiritualitatis habet.

consecratus cognoscit; de illis vero, quae ad simplicem iurisdictionem spectant, cognoscit electus et confirmatus, licet nondum sit in episcopum consecratus, quia exercitium iurisdictionis actu acquiritur per confirmationem. Tali igitur potestate intra certos limites coercita et Bonner et Barlow nondum consecrati dioeceses suas administrabant, nec antequam consecrati forent iurisdictione *ad dignitatem episcopalem pertinenti*, nedum potestate *ordinis episcopalis* uti potuerunt. Quis vero credet Barlovum huiusmodi potestate carere voluisse? Bonner post aliquot menses, die 4° Aprilis, 1540, consecratus, tandem et hac potestate praeditus *consecrare* atque *ordinare* potuit. Item Barlow et consecrandi et ordinandi potestate utebatur. Nempe consecrationibus quorundam episcoporum, quos infra (n. 73) memorabimus, interfuit. Ergo et Barlow, qui episcopatum suum aeque ac Bonner tanquam muneris publici mercedem receperat, consecrari debuit, nec facile consecrationem praetermittere potuit.

44. Tertio (3) communius obicitur quod Barlow nondum consecratus in quibusdam documentis *episcopus Meneviensis* nuncupatus est; imo se ipsum in litteris ita nominabat. Unde conclusionem inferri volunt obiectores quod prae contemptu consecrationis electum pro absoluto episcopo habuerit. Qui cum ita disserant potius inscientiam suam quam Barlovi heterodoxiam demonstrant. Constat enim ex usu ecclesiastico titulum episcopalem electo et confirmato, licet nondum consecratus sit, certo quodam modo recte ac iure competere. Id testatur Van Espen (p. i. t. xiv. c. 5, § 7), quo iudice electus obtenta confirmatione tanquam verus pastor et episcopus ecclesiae vacantis reputatur. Nimirum iurisdictionem spiritualem electione acquirit; ius autem exercendae iurisdictionis ut superius ostendimus per confirmationem obtinet. Quo circa "appellatione *episcopi*," ait Lyndewode (lib. iii. tit. 13, *v. arbitrio*), "in iurisdictionalibus comprehenditur confirmatus licet non consecratus." In mentem venient nomina complurium qui per abusum paene intolerabilem ad episcopatus electi iurisdictionem exercuerunt, officiales et vicarios nominaverunt, coadiutores ad sacramenta peragenda delegaverunt, nec tamen ullos sacros ordines ipsi

receperunt[1]. Hi omnes titulo episcopali communiter usi sunt. Curnam igitur suspicioni sit quod ante consecrationem suam litteris quibusdam subscripserit *Willelmus Meneviensis*[2]? Non nisi in documentis gravioris momenti titulus plenarius *episcopi electi et confirmati* adhiberi consuevit. Quinimo et Bonner, quem sacramentum ordinis contempsisse nemo suspicatus est, etiam in litteris officialibus seipsum *Edmundum permissu divino episcopum Londiniensem* nondum consecratus praestabat[3], atque in omnibus instrumentis ad eius translationem in sedem Londiniensem pertinentibus *episcopus Herefordensis* simpliciter nuncupatus est[4]. Qua in re cum Barlow morem communem secutus sit, perabsurdum est id factum ei obicere, tanquam si consecrationis prae contemptu praetermittendae testimonio foret.

45. Porro (4) adducuntur Litterae Patentes quibus Barlovo nondum consecrato temporalia sedis Meneviensis pleno iure, ut asseritur, collata sunt. Quod instrumentum cum Estcourt in archivis thesaurarii regii[5] invenisset, novam exinde faciem toti controversiae se daturum sperabat[6]. Unde nobis visum est de hac re paulo fusius disputare.

46. Animadvertendum est iuxta consuetudinem in Anglia antiquissimam regibus permissum esse ut possessiones visibiles seu *temporalia* cuiusvis episcopatus sede vacante custodiant. Huiusmodi vero *custodiae* ratio est quod rex ipse reditus et proventus sedis pleno iure in fiscum recipit. Alii autem reditus qui ex spiritualis iurisdictionis exercitio oriundi nomine *spiritualium*[7] nuncupantur, ab eo

[1] E quibus celeberrimus est Henricus de Bourbon, Episcopus Mettensis 1612–1652.

[2] Estcourt, *op. cit.*, p. 66.

[3] *Reg. Bonner*, fol. 8.

[4] Rymer, xiv. 646 et 647.

[5] Vide *Memoranda Roll of the Lord Treasurer's Remembrancer*, 28 *Hen. VIII. Easter Term, Roll I.* Instrumentum fere totum in Estcourt, *op. cit.*, app. p. xix, typis excusum est.

[6] *Op. cit.*, p. 69 et 71–7.

[7] Haec sunt *spiritualia beneficii*, quae a *spiritualibus characteris*, et *spiritualibus ministerii* seu iurisdictionis caute distinguenda sunt; cf. Stubbs, *Const. Hist.*, vol. iii. p. 302.

qui *custos spiritualitatis* sede vacante constitutus est collecti asservantur. Itaque futuro episcopo per electionem et confirmationem in sedem surrogato, vacatio *quoad spiritualia* statim cessat, siquidem sententia definitiva confirmationis electo in forma confert *curam regimen et administrationem spiritualium*[1]. Postmodum praemisso de fidelitate iuramento temporalia beneficii ab ipso rege novo episcopo restituuntur; quo facto cessat vacatio *quoad temporalia*. Exempli gratia referatur casus Cranmeri, qui electus a conventu Cantuariensi, confirmatus a Pontifice Romano, consecratus in Anglia iam ante finem mensis Martii, 1533, fuerat; nec tamen ante diem 19um Aprilis, quo die temporalia restituta sunt, sedis vacationi *quoad temporalia* terminus iure ponebatur[2]. Quod si quaeratur quandonam huiusmodi restitutio fieri consueverit respondemus eam a novo episcopo statim *post consecrationem* revindicari posse[3]. Nihil tamen obstat quominus rex ipse episcopo vel nondum consecrato restitutionem concedat[4], vacationemque quoad temporalia terminet. Ideoque dicendum est restitutionem temporalium vel *e iure* post consecrationem fieri debere, vel ante consecrationem *e gratia* concedi posse: exinde in utroque casu sedes quoad temporalia vacare cessat. Quid autem de reditibus qui sede adhuc vacante in manus regis seu *eschaetoris* eius provenerunt? De his antiqua consuetudo est ut rex omnia emolumenta, quamvis sibi ipsi pleno iure propria sint, novo episcopo vel ante vel post restitutionem ordinariam gratia speciali concedat. Huiusmodi *concessiones* apud Rymer passim reperiuntur.

47. His praemissis ad instrumentum de quo agitur paucis

[1] Gibson, *Codex*, p. 132.

[2] Vide concessionem temporalium "ratione vel causa praedictae ultimae vacationis archiepiscopatus illius et custodiae dictorum temporalium eiusdem, usque ad et in praedictum decimum nonum diem praedicti mensis Aprilis ultimi praeteriti et pro eodem die" provenientium, Cranmero die 2° Maii 1533 datam; apud Rymer, vol. xiv. p. 457.

[3] Saltem post cartam a rege Johanne datam; vide apud Stubbs, *Const. Hist.* § 378; Rymer, vol. i. p. 126. Jus restitutionis vindicandae in statuto 25 Hen. VIII. c. 20, episcopis consecratis expresse reservatum est.

[4] E.g. Bonnero nondum consecrato temporalia et Herefordensia et Londiniensia restituta sunt. Rymer, xiv. 601 et 647.

examinandum progrediamur. Datum 26° die Aprilis 1536, concessio est temporalium sedis Meneviensis *causa vacationis et custodiae* provenientium, cui verba quaedam parum usitata accesserunt. Ex dictis apparet nihil in huiusmodi documento ad consecrationem recto spectare. Estcourt autem ex additis verbis inusitatis necnon ex quibusdam omissis conclusionem inferre voluit quod hac concessione data rex eo intendebat ut Barlow episcopatum absque omni consecratione continuo occuparet ac retineret.

48. (*a*) Omittuntur relationes de iuramento fidelitatis et de restitutione temporalium iamdudum facta, quae in simili concessione pro Cranmero inveniuntur. Ergo, ait Estcourt, (*op. cit.* p. 75) homagium seu fidelitatem nunquam praestitisse videtur Barlow. Quorsum haec? Sub silentio insinuatur conclusio quod nunquam in episcopatum plenarie per consecrationem promotus fuerit. Huic obiectioni responsum in plano habemus. Quidni *post* hanc concessionem ordinaria restitutio fieri potuit? Id factum constat in casibus Lee episcopi Lichfeldensis anno 1533, et Goodrich Eliensis anno 1534, quorum concessiones et restitutiones apud Rymer (xiv. 481, 528 et 486) conferri licet.

49. (*b*) At in litteris patentibus Barlow, qui ex confesso nondum consecratus erat, "*nunc episcopus*" appellatur; et dicitur capitulum Meneviense eum *in suum episcopum et pastorem* elegisse, ita ut "Reverendissimus in Christo pater Thomas Archiepiscopus Cantuariensis totius Angliae Primatus et Apostolicae Sedis Legatus electionem illam acceptaverit et confirmaverit ipsumque sic electum *episcopum praedictae Ecclesiae Meneviensis praefecerit et pastorem*"; unde sequi videtur ut praetermissa consecratione per nudam electionem confirmatam episcopum pleno iure constitui censuerint auctores huius instrumenti. Mira quidem illatio! De titulo episcopi electi ac confirmati iam antea satis disputavimus. De verbis quae effectum confirmationis declarant satis erit observare eadem ipsissima verba de confirmatione Cranmeri Romae expedita in simili documento[1] usurpari. Necnon

[1] Rymer, xiv. p. 457. Eisdem verbis et Maria regina usa est in huiusmodi concessionibus. Rymer, xv. 426–484.

in litteris patentibus, quibus episcopi ab Edwardo VI. nominabantur, alia vel fortiora de effectu regiae electionis inveniuntur[1], quae tamen nullatenus impediebant quin consecrationem episcopalem nominati necessario reciperent.

50. (*c*) At Barlovo temporalia sedis *durante vita sua* conceduntur. In his potissimum verbis haerent obiectores. Inusitatissima sunt: concedimus. Consecrationem praecludunt: negamus. Negationem hac ratione facillime defendemus. Ad episcopatum Sodorensem, ex antiqua consuetudine rex ipse, nulla habita electione canonica, per litteras patentes episcopum nominat. Juxta has litteras episcopus sedem suam *durante vita sua naturali* recipit[2]. Attamen plenam episcopatus possessionem non nisi postea consecratus fuerit iure obtinet. Ad eandem normam redactae sunt litterae patentes, quibus ut supra memoravimus Edwardus VI. post abrogatam electionem canonicam episcopos ad sedes *durante vita sua naturali*[3] nominabat. Hos omnes accepta hac nominatione postmodum consecrari necesse erat. Curnam autem Barlovo potius quam illis consecrationem praetermittere vi horum verborum licuerit nescimus. Imo illis per litteras patentes episcopatus pleno iure, excepta consecrationis necessitate, collati sunt; huic vero tantum custodia seu receptio proventuum ad regem *causa vacationis* pertinentium. Illis et temporalia et spiritualia tanquam per electionem perfectam et confirmatam concedebantur; huic vero nil nisi temporalium usufructus. Maior itaque illis concessio est quam Barlovo. At illi ad consecrationem suscipiendam obligati sunt. Ergo et Barlovo verba de *durante vita* nihil obstabant quominus necessaria foret consecratio. Quod si

[1] "Conferimus damus et concedimus praefato N. praedictum episcopatum N. ac eundem N. in episcopum N. praeferimus per praesentes ac ipsum N. episcopum N. ac Dioecesanum N. praedictae *nominamus facimus ordinamus creamus et constituimus* per praesentes. Habendum tenendum occupandum et gaudendum praedictum episcopatum N. eidem N. durante vita sua naturali una cum omnibus dominiis maneriis terris tenementis haereditamentis possessionibus et iuribus tam spiritualibus quam temporalibus &c." Rymer, xv. pp. 85, 173, et alibi.

[2] Vide apud Rymer, vol. xv. p. 85–6.

[3] In casu Hooperi, 20° Maii, 1552, eorumque qui exinde sequebantur addita fuerunt verba ista famosa "*si tamdiu bene se gesserit in eodem*," Rymer, xv. 299.

quis amplius de vigore horum verborum disputare voluerit id iurisperitis disceptandum relinquimus.

51. Hoc tamen nobis addendum videtur, quod eo ipso tempore huiusmodi concessio Barlovo in verbis usitatis nequaquam dari potuit. Mos utique erat ut uterque terminus vacationis expressis verbis indicaretur. Cranmero, exempli gratia, concessa sunt "omnia proficua...*a vicesimo nono die Septembris...usque ad...decimum nonum diem...Aprilis*...provenientia[1]," quo die, ut diximus, vacatio cessabat. At Barlovo ante consecrationem et restitutionem ordinariam concessio data est. Cuius rei causam in promptu ponendam habemus. Nempe legatione Scotica fungebatur, Londinii paucos tantum dies negotia cito abiturus agebat; valde incertum erat quamdiu foris versaturus esset; tempus futurae consecrationis et restitutionis praevidere impossible erat. Itaque ne tamdiu emolumentis sedis suae destitueretur, usufructus temporalium adhuc pendente vacatione ei datus est; ac ne omnino deesset terminus ad quem concessio continuaretur, haec verba de *durante vita* addita fuisse nobis videntur. Simili ratione cum Rolando Lee Lichfeldensi, etiam nondum electo[2], concessio temporalium *causa vacationis* data est, verba quaedam inusitata inferri necesse fuit; quocirca omnia conceduntur "quamdiu temporalia praedicta et cetera praemissa in manibus nostris remanere et existere contigerint." Item regina Maria, die 26° Martii, 1555, temporalia sedis Eboracensis Hethio *durante vacatione* concessit, cuius litteris ad maiorem cautelam et haec verba accedebant: "eo quod expressa mentio de certo tempore vacationis archiepiscopatus praedicti...in praesentibus minime facta existit...non obstante[3]." Ex quibus casibus liquido apparet, cum huiusmodi concessio extraordinarie detur, quaedam verba inusitata necessario addenda esse, variasque locutiones eodem spectantes adhibitas fuisse[4].

[1] Rymer, xiv. p. 457.

[2] *Concessio* temporalium ei data est 18° Dec. 1533; electus est mense Martio 1534; restitutio ordinaria temporalium die 6° Maii facta est. Rymer, xiv. 481–528.

[3] Rymer, xv. 419.

[4] Bonnero, qui perinde ac Barlow consecrationem suam legationis causa distulit, temporalia *ante consecrationem* formaliter restituta sunt; ideoque in eius

Ergo nequicquam obiciuntur verba de quibus agitur, tanquam si suspicionem de consecratione Barlovi ingerant.

52. Denique (5) asseveratur et Cranmerum et Barlovum ita de sacra ordinatione id temporis sensisse ut verisimile sit eos mutua voluntate consecrationem praetermisisse. Cuiusmodi verisimilitudo, quamvis per se nihil argumenti afferat, tamen suspicioni aliunde illatae vel irrationabili aliquid gravitatis fortasse tribuere videbitur. Itaque sedulo proponitur quo lacuna Registri in peiorem partem abeat. Ad hanc verisimilitudinem obruendam nosmetipsos accingemus.

53. Ac primo quidem dicendum est hos duos praesules eius ingenii fuisse ut res ita novare minime vellent. An quis credere potest eos, ut caerimonias evitarent quas ex hypothesi flocci facerent, poenis lege de *Praemunire* latis, cum temporalium destitutione, obnoxios se sponte praebuisse? Quippe cautiores quam ut talia delirarent, consecrationem potius vicissim flagitare quam mutuis consiliis reicere statuissent. Quod autem de hac re disputavit Estcourt (*op. cit.* p. 75), post restitutionem temporalium extraordinarie factam, ut superius relatum est, nihil de *Praemunire* moveri potuisse, ineptius conceptum videtur. Quid enim in isto diplomate de praetermittenda consecratione dicitur? Nil nisi concessio temporalium indicatur. Statutum vero 25 Henrici VIII. non ei tantum qui temporalia illegitime obtineret, sed etiam qui electi *consecrationem cum omnibus debitis circumstantiis* quomodocunque impediret, poenas de *Praemunire* minitabat[1].

casu difficultati obviam itum est modo simplici quidem sed statuto 25 Hen. VIII. c. 20 parum conformabili. Rymer, xiv. 601 et 647. Supradictis addendum est quod in brevi regio de restitutione pro Willelmo Reppis, Norwicensi, anno 1536 expedito quaedam verba inusitata continentur. Vide apud Rymer, xiv. 573. Valde probabile est istis annis quaedam novanda instigante Crumwellio excogitata fuisse; postea vero ad normam antiquiorem reditum est.

[1] Statutum 25 Hen. VIII. c. 20 ad finem. "If any Archbishop or Bishop... shall refuse and do not confirm invest and consecrate with all due circumstance as is aforesaid, every such person as shall be so elected, nominate, or presented...... or else if any of them or any other person or persons admit, maintain, allow, obey, do, or execute any censures excommunications interdictions inhibitions or any other process or Act, of what nature name or quality soever it be, to the contrary or lett of due execution of this Act; that then every......Archbishop and Bishop, and all other persons so offending and doing contrary to this act, or any part

Quanam causa talia pericula Cranmerum et Barlovum obiisse credamus?

54. Hanc unicam causam ponunt obiectores, ut regi more adulantum faveretur[1]. Dicunt enim Henricum, cum episcoporum tam ordinationem quam provisionem sibi vindicaret, consecrationem adaequatam in electione iussu regio facta implicite contineri censuisse. Itaque praetermissa consecratione regis acumen theologicum testabantur et electus et metropolitanus.

55. Sane luculentum testimonium! quod imprimis celare necesse erat, cum Barlow episcopatum non nisi fraude teneret; quod Gardinero eiusque partibus innotescere vetitum[2]; quod regi perstringendo locum dabat qui et ipse suam legem de potestate pontificia abroganda perfringi sineret; imo quod legum observantiam curiosam, quam semper affectabat Henricus, penitus abolere potuit.

56. Quid vero de ista regis opinione praetextum habemus? Alii nihil afferunt: Estcourt (*op. cit.* p. 70) censuram quandam regia manu scriptam, quae in Museo Britannico[3] exstat. Perpauca verba, quorum ratio talis est. Quaestiones exhibitae fuerunt episcopis et doctoribus quibus anno 1540 commissum erat librum *De necessaria Christiani doctrina atque eruditione* componere. Responsorum[4] digestum a Cranmero, ut videtur, in usum regis factum est, cui rex ipse sua manu unam tantum annotatiunculam addidit. Cum doctores quaestioni 9ae respondissent, *episcoporum promotionem ex duabus partibus consistere, scilicet electione atque ordinatione;*

thereof, and their aiders counsellors and abettors shall run in the dangers, pains, and penalties of the estatute of *Provisors*, and *Praemunire* &c." Unde liquido apparet non Cranmerum dumtaxat et Barlovum in casu supposito reos se praestitisse, sed omnes eorum officiales, quos conscios criminis necesse esset, eisdem poenis obligatos fuisse.

[1] Hutton, p. 310; Breen, p. 17.

[2] His fere verbis usus est Estcourt, *op. cit.*, pp. 68, 71.

[3] Cotton. MS. *Cleopatra*, *E*. v. 39; typis mandatum in Strype, *Cranmer*, append. xxviii. pp. 52–3 (edit. 1694). Rationem huius documenti parum accuratam Estcourt reddidit. Vide Dixon, *History of the Church of England*, vol. ii. pp. 303–5, 310–11; et Burnet, ed. Pocock, vol. vi. p. 246.

[4] In Bibliotheca Lambethana, no. 1108, asservantur.

electionem vero, quam Apostoli urgente necessitate vel suffragiis communibus vel aliquando assignatione singulari habuerunt, eis temporibus a principibus Christianis, cum nulli forent, fieri nequisse, nunc autem ad principes et magistratus Christianos pertinere; ordinationem autem, qua gratia conferatur, inde ab Apostolis iuxta S. Spiritus institutionem per manuum impositionem cum oratione et ieiunio confectam esse[1], rex ita commentatus est; "Unde ista distinctio? Cum vero confitemini Apostolos eam partem olim occupasse quam nunc ad principes pertinere confitemini, quonam modo demonstrabitis ordinationem vobis tantum episcopis permitti[2]?"

57. Verum haec ideo tantum opponi, ut apertior doctrinae catholicae expositio illiciatur, pro certo habemus. Propriam regis opinionem nullatenus exhibent. Quod si quis dubitet, consulatur liber *De necessaria Christiani doctrina atque eruditione*, infra citatus, e responsis de quibus agitur potissimum compositus; cuius in titulo praefertur auctoritas regia. Nempe vulgo nuncupatus est *The King's Book,* Liber Regius. Unde liquet hunc librum, qui doctrinam catholicam sedulo inculcat, regis menti et voluntati gratum fuisse[3]. Verum enimvero episcopum regnante Henrico absque consecratione creatum

[1] "Making of Bishops hath two parts, appointment and ordering. Appointment, which the Apostles by necessity made by common election, and sometime by their own several assignment, could not then be done by Christian princes because at that time they were not; and now at these days appertaineth to Christian princes and rulers. But in the ordering, wherein grace is conferred (as afore), the Apostles did follow the rule taught by the Holy Ghost—*per manuum impositionem cum oratione et ieiunio.*"

[2] "Where is this distinction found? Now since you confess that the Apostles did occupate the one part, which now you confess belongeth to princes, how can you prove that ordering is only committed to you Bishops?"

[3] Nostram huius censurae interpretationem veram esse vel clarius apparebit si collatae fuerint eiusdemmodi censurae in aliud quoddam responsorum digestum a rege factae. In eodem MS. Cottoniano (*Cleop. E.* v. 36) continentur. Rex cum legisset nullam sacramenti definitionem proprie dictam in S. Scripturis, necquidem in libris doctorum antiquiorum inveniri, quaerit *curnam igitur ita nuncupentur?* cum de numero sacramentorum septenario plus minusve responsum esset *Id Deum scire* ("God knoweth"), rex tanquam responsi incuriam indignans rogat *qua tandem causa ecclesia tamdiu erraverit quae talia definire statuerit?* Notandum est in libro edito expressius assertum esse numerum septenarium. De his vide Dixon, *History*, vol. ii. p. 310.

fuisse prorsus incredibile est, si praesertim regis ingenium respiciatur, qui nunquam oblitus est se Fidei Defensorem nuncupari; nec, quacunque in rebus minoris momenti temeritate fuerit, Pontificibus et Cardinalibus, qui id aetatis reformatores praecellebant, ad res novandas procliviorem se praestitit. In doctrina, quamvis opinionis propriae tenax, Gardineri potius quam Cranmeri symbolismo constanter favebat[1]. Causam igitur praevaricationis praetensam diluimus.

58. At quidem perpensis et ipsorum Cranmeri et Barlovi opinionibus vulgatis satis constat eos nullum de consecratione reicienda propositum habuisse. Namque (*a*) Cranmer post Barlovi promotionem eodem vel proximo anno (1536–1537) nomen suum libello apposuit cui titulus *Declaratio munerum atque institutionis Divinae Episcoporum et Presbyterorum*[2], in quo talia leguntur:—"Quoad sacramentum ordinum sacrorum volumus omnes episcopi et predicatores plebem nostram curae suae spirituali subditam instituant ac doceant, quatenus imprimis Christus eiusque Apostoli in Novo Testamento instituerint ut praeter illam regum et principum civilem potestatem atque administrationem, quae in Scriptura *potestas gladii* nuncupatur, alii quoque ministri in Ecclesia militanti perpetuo forent, qui certa quadam potestate auctoritate missione sub Christo praediti verbum Dei praedicarent plebemque docerent, sacramenta Dei quibus conferretur gratia Scti Spiritus eisdem dispensarent, Sanctissimum Corpus Christi in Sacramento Altaris conficerent, omnes vere poenitentes absolverent eorumque peccata remitterent, omnes in manifestis delictis peccatisve detentos atque emendari nolentes ligarent atque excommunicarent, alios in eundem statum ordinem et ministerium in quo ipsi constituti essent promoverent et consecrarent, plebem denique Christianam pascerent,...quae potestas vel administratio hic in terris servetur necesse est...quam Christus et Apostoli certis tantum personis commiserunt ac dederunt, scilicet presbyteris atque episcopis, quos elegerunt

[1] Hanc Henriciae indolis appretiationem e Stubbs, *Lectures on Mediaeval and Modern History*, p. 259, transtulimus.

[2] "A declaration made of the functions and Divine institution of Bishops and Priests," Cotton. MS. *Cleop. E.* v. fol. 45.

vocaverunt et per manuum impositionem cum oratione ibidem instituerunt. Deinde volumus omnes episcopi et praedicatores plebem nostram curae suae spirituali subditam instituant ac doceant quod Sacramentum Ordinis nomine *sacramenti* digne insignitum est, cum potissimum iuxta institutionem Christi et Apostolorum sacer ritus seu caerimonia Novi Testamenti habeatur, atque ex duabus partibus, scilicet gratia spirituali invisibili, et signo externo visibili, perinde atque alia sacramenta Ecclesiae, constet.... In Novo autem Testamento nullorum graduum ordinumve mentio fit nisi tantum Diaconorum seu Ministrorum, et Presbyterorum seu Episcoporum; nec quicquam de caerimoniis in hoc sacramento conferendo adhibitis dictum est nisi de manuum episcopi impositione cum oratione[1]."

[1] MS. Cotton., *Cleop. E.* v. fol. 45. Burnet, ed. Pocock, iv. 336. "As touching the sacrament of Holy Orders; we will that all bishops and preachers shall instruct and teach our people committed by us unto their spiritual charge, *First*, How that Christ and his Apostles did institute and ordain in the New Testament, that beside the civil powers and governance of kings and princes, which is called in scripture *potestas gladii*, the power of the sword, there should also be continually in the church militant, certain other ministers or officers, which should have special power, authority and commission under Christ, to preach and teach the Word of God unto his people, to dispense and minister the sacraments of God unto them, and by the same to confer and give the grace of the Holy Ghost, to consecrate the blessed body of Christ in the Sacrament of the Altar, to loose and absoile from sin all persons which be duly penitent and sorry for the same; to bind and excommunicate such as be guilty in manifest crimes and sins, and will not amend their defaults; to order and consecrate others in the same room, order, and office, whereunto they be called and admitted themselves; and finally to feed Christ's people.... *Item*, That this power, office, and administration is necessary to be preserved here in earth.... *Item*, That this office, this power and authority was committed and given by Christ and his apostles unto certain persons only, that is to say, unto priests or bishops, whom they did elect, call, and admit thereunto by their prayer, and imposition of their hands. *Second*, We will that all bishops and preachers shall instruct and teach our people committed into their spiritual charge, that the sacrament of order may worthily be called a sacrament, because it is a holy rite, or ceremony instituted by Christ and his apostles in the New Testament, and doth consist of two parts, like as the other sacraments of the church do; that is to say, of a spiritual and an invisible grace, and also of an outward and a visible sign.... In the New Testament there is no mention made of any degrees or distinctions in orders, but only of deacons or ministers, and of priests or bishops: nor is there any word spoken of any other ceremony used in the conferring of this sacrament, but only of prayer, and the imposition of the bishop's hands."

59. Isti vero declarationi subscripserunt inter alios Edwardus Lee Eboracensis, Cuthbertus Tunstall Dunelmensis, Johannes Stokesley Londiniensis, qui veteris disciplinae admodum studiosi, opiniones Lutheranorum aliorumque novatorum detestabantur. Ergo sensu plane catholico recipienda est; neque offensioni sit quod distinctio inter episcopatum et presbyteratum ratione gradus iuxta sententiam eo tempore communissimam omnino tolli videtur. Namque, ut ait Gasparri, plerique scholastici putabant episcopatum non esse ordinem proprie dictum, distinctum a presbyteratu, licet non omnes eodem modo mentem suam positive explicarent; quam opinionem, obscuram, confusioni idearum innixam, hodie ab omnibus derelictam et derelinquendam esse docet[1].

60. Item (*b*) anno 1537 et Cranmer et Barlow cum aliis nonnullis episcopis et doctoribus libro *De Institutione Christiani*[2] componendo operam dabant, eidemque typis vulgato nomina sua apposuerunt[3]. Cuius in secunda parte continetur *Expositio seu declaratio de septem Sacramentis*; ubi *de Sacramento Ordinis* eisdem fere verbis disseritur atque in manuscripta *Declaratione* quam modo rettulimus. Quaedam vero addita liceat nobis hic animadvertere. Postquam inter signum et gratiam sacramenti distinctum fuit, docent auctores "donum invisibile seu gratiam in hoc sacramento collatam nihil aliud esse quam potestatem, munus, auctoritatem supradictam, signum autem externum visibile esse orationem et impositionem manuum episcopi supra personam quae donum praedictum seu gratiam recipiat." Necnon his verbis necessitatem huius sacramenti plane declarant: "Apostoli, ne quando Ecclesia Christi ministris, qui potestatem clavium haberent atque exercerent, viduaretur, episcopos hoc sacramentum temporibus opportunis administrare, et personis ad eum statum idoneis applicare iusserunt; cuiusmodi idonei-

[1] Gasparri, *op. cit.* n. 21. Citat auctores, S. Thomam, aliosque, et Card. Capisucchium qui refert *octoginta* auctores, quos ipse profitetur fere omnes vidisse.

[2] "*The Institution of a Christian Man.*" Vide Dixon, *History*, vol. i. p. 522. Libellus in volumine intitulato *Formularies of Faith put forth by authority during the reign of Henry VIII.* iterum typis mandatus est anno 1825.

[3] Ea de causa vulgo nominabatur *The Bishops Book*, Liber Episcopalis.

tates eidem apostoli sedulo definierunt, ut in capitulo tertio epistolae S. Pauli ad Timotheum primae, et in capitulo primo eiusdem ad Titum epistolae luculentius apparet[1]." Talia docuerunt inter alios Cranmer et Barlow. Tandem, quo magis liber in usu haberetur, Cranmer edixit ut omnes clerici, quibus cura animarum esset, partem eius ordine singulis diebus dominicis clara apertaque voce e suggesto populo legerent[2].

61. Porro (*c*) et Cranmer et Barlow ex eis fuerunt quibus curae erat librum *De necessaria Christiani doctrina atque eruditione*[3] anno 1543 vulgatum componere. Huius libri

[1] In editione anni 1825, p. 104. "The invisible gift or grace conferred in this sacrament is nothing else but the power, the office, and the authority before mentioned. The visible and outward sign is the prayer and imposition of the bishop's hands upon the person which receiveth the said gift or grace. And to the intent the Church of Christ should never be destituted of such ministers, as should have and execute the said power of the keys, it was also ordained and commanded by the apostles, that the same sacrament should be applied and administered by the bishop from time to time unto such other persons as had the qualities necessarily required thereunto; which said qualities the apostles did also very diligently describe, as it appeareth evidently in the third chapter of the first epistle of St Paul to Timothy, and the first chapter of his epistle to Titus."

[2] Wilkins, *Concilia*, iii. p. 827. *Cranmer ad decanum de Barking.* Eadem fere mandaverunt archiepiscopus Eboracensis (Lee) in provincia sua, aliique episcopi in propriis dioecesibus. Ipsum libellum plurimis editionibus vulgatis tam laici quam clerici universim emisse videntur.

[3] "*A necessary Doctrine and Erudition for any Christian man*," vide Dixon, *Hist.* vol. ii. pp. 234, 304. In opere citato *Formularies of Faith, &c.* pp. 277–281, reperientur ea quae in textum transtulimus. Ipsa verba ex originali hic transcribimus. "Order is a gift or grace of ministration in Christ's Church, given of God to Christian men by the consecration and imposition of the bishop's hands upon them; and this sacrament was conferred and given by the Apostles, as it appeareth in the Epistle of St Paul to Timothy......Whereby it appeareth that St Paul did consecrate and order priests and bishops by the imposition of his hands: And as the Apostles themselves, in the beginning of the Church, did order Priests and bishops, so they appointed and willed the other bishops after them to do the like, as St Paul manifestly sheweth in his epistle to Titus saying thus, For this cause I left thee at Crete, that thou shouldest ordain priests in every city according as I have appointed thee. And to Timothy he saith, See that thou be not hasty to put thy hands upon any man......And thus by succession from the Apostles hath order continued in the church, and hath ever been called and counted for a Sacrament, as it may appear by divers other ancient writers, and specially by St Augustine, where he writeth thus, speaking both of the sacrament of baptism and of order: Either of them (saith he) is a sacrament, and either of them is given

pars tertia doctrinam catholicam *de septem Sacramentis* explicat. De *Sacramento Ordinis* quae hic continentur ita transtulimus: "Ordo est donum seu gratia ministerialis in Ecclesia Christi, Christianis per consecrationem manuumque episcopi impositionem divinitus data; hoc vero sacramentum ab ipsis Apostolis collatum ac datum est, ut patet per epistolam S. Pauli ad Timotheum...Unde liquido apparet S. Paulum presbyteros episcoposque per manuum impositionem consecrasse atque ordinasse. Quatenus autem a primis Ecclesiae incunabulis ipsi Apostoli id fecerunt, eadem ratione voluerunt ut episcopi subsecuturi alios ordinarent ac consecrarent, idque praecepto confirmarunt, ut S. Paulus in epistola ad Titum apertius ostendit; namque *Huius* inquit *rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Ad Timotheum autem ita scribit, *manus cito nemini imposueris*...Itaque ordo, per modum successionis inde ab Apostolis in Ecclesia continuatus, pro sacramento semper habebatur. Ita docuerunt inter vetustos et alii quamplures et S. Augustinus qui, de Baptismo et Ordine disserens, utrumque ait sacramentum esse, et per consecrationem quandam conferri, illum quidem ubi quis baptizatur, hunc autem ubi quis ordinatur; quocirca neutrum horum in Ecclesia Christi Catholica iterari licet."

62. Talia iam iterum anno 1543 docuerunt Cranmer et Barlow. Plurimum vero huius libri auctoritas eo tempore valebat, quippe qui non modo tot praesulum cura ac diligentia exaratus esset, sed et synodica censura approbatus[1] expositionem fidei ad mentem Ecclesiae prorsus castigatam perhiberet.

63. Praeterea (*d*) Cranmer anno 1540 (post Barlovi consecrationem quattuor annis, post librum *De Institutione* vulgatum triennio) etiamsi opiniones erastianas serio proposuerit[2], *electionem ad episcopatum presbyteratumve absque*

by a certain consecration, the one when a man is baptised, and the other when he is ordered; and therefore neither of them both may be iterate or repeated in the catholic church."

[1] Vide Dixon, *Hist.* vol. ii. p. 317.

[2] Vide Responsa ad quaestiones in Collier, *Ecclesiastical History*, vol. ix. pp. 208–214. Eadem sunt quae n. 56 rettulimus.

ordinatione sufficere,—principi in finibus infidelium bello acquisitis, vel etiam in regione Christiana sacris ministris orbata, presbyteros episcoposve propria potestate promovere licere,—attamen prudentissime protestatus est *se talia quidem pro tempore sentire nec tamen temerarie definire.* Unde videtur opiniones istiusmodi dubias atque incertas etiamtunc habuisse; neque in errore quo recentissime captus erat diutius perseverabat. Quinimo libro *De necessaria &c.*, qui tales opiniones plane refellit, et ipse subscripsit et in synodo provinciali subvenit; necnon post aliquot annos Hooperum, cui insignia pontificia odio erant, debito ritu consecrari coegit[1].

64. Idem vel eo tempore quo sententiam valde erroneam ventilabat aliorum doctorum qui doctrinam catholicam de sacra ordinatione sane defendebant opinionibus annuit; Laytoni nempe, cuius responso orthodoxo, inter ea quae supra memoravimus asservato, nomen suum propria manu subscripsit, et Thirlebii, cuius in margine responsorum et Cranmeri et aliorum nomina accesserunt, "quanam causa," inquit Strype, "nescio, nisi quo eorum sententiae cum istis consonare declararentur." Quod si Cranmer in opinione tam dubia, tam incerta, tam cito reiecta tantum pro tempore vacillabat, numquis credat eum tali sententia fretum consecrationem contra ius tam civile quam ecclesiasticum in praxi temerarie praetermisisse?

65. (*e*) Quod ad Barlovum attinet, ingenue fatemur eum anno 1540 responsa quaedam admodum erastiana protulisse; attamen *Libro Episcopali,* quem vocabant, ut supra notavimus anno consecrationis suae primo subscripsit, necnon annis 1539 et 1540 consecrationibus episcoporum interfuit; unde liquet eum legibus et civilibus et ecclesiasticis saltem in praxi morem gessisse. Opiniones quidem novas atque inauditas summa temeritate ventilabat, siquidem publice concionando sententiam enunciavit, *si regia maiestas, tanquam Ecclesiae Anglicanae supremum caput, laicum quemdam doctum ad episcopatum eligeret vel nominaret, talem electum nulla adhibita ordinatione pariter episcopum fore ac se ipsum aliumve in*

[1] Vide Dixon, *op. cit.* vol. iii. pp. 254–5.

Anglia probatissimum[1]. Verum quis non videt Barlovum huiusmodi impietates mere speculativas prompsisse? Sin autem rationes agendi quibus constanter utebatur respexeris, quid tandem absurdius esse potest quam ut homo rerum peritus ac prudens, qui doctrinam suam sententiae communiori tacite conformare solitus sit, qui munus consecrationis aliis solemniter impenderit, qui vel talibus iactitandis, siquidem cum probatissimo quoque episcopo seipsum consociaret, assertionem suae consecrationis implicuerit, in proprio suo casu iura tam humana quam divina maximo cum periculo contempsisse credatur?

Satis de his. Adversariorum dubia speramus nos diluisse.

III. *Probatur Consecratio.*

66. Restat ut adducamus ea quae Barlovum revera consecratum fuisse aperte demonstrent.

Quorum in primis argumentum est quod Parker inter aulicos anno 1536 versabatur, nec si quid de Barlovi promotione irregulariter accidisset nescire potuisset. Ideoque homo cautus et prudens, qui promotionem suam quam potissimum regularem effici sollicite curabat[2], cum Barlovum in consecratorem eligeret, eius consecrationem sibi innotuisse plane testabatur. Nec vero Elizabetha, quae levissimum

[1] Vide Collier, *Eccl. Hist.* vol. iv. p. 381 (ed. 1852). Eadem e Strype, *Mem.* vol. i. p. 184, citantur ab Estcourt (*op. cit.*, p. 68), qui recte animadvertit ex eis consecrationem Barlovi aliquatenus probari posse. Hardouin totam narratiunculam, quae luculentum testimonium pro consecratione perhiberet, prorsus reiciendam censuit. Sane proprium homini judicium! *La dissert. réfutée*, p. 141.

[2] Vide supra, n. 11. Estcourt (p. 81) obicit Parkerum tacite sivisse ut Thomas Lancaster, archiepiscopus *electus* Armachensis, anno 1568 quosdam presbyteros ordinaret; unde putat eum et Barlovo episcopo tantum electo munera episcopalia permittere potuisse. Ignorasse videtur auctor istum Thomam Lancaster eo tempore, quo electus Armachensis erat, Marleburgensem episcopum suffraganeum iampridem fuisse; id quod constat ex Registro Juelli Sarisburiensis fol. 48. Ideoque ea quae Parker tacite permittebat ad validitatem ordinationum minime spectabant, atque irregularitatem tantum, neque eam certa ratione, inducebant. Porro hunc Thomam Lancaster ad sedem Kildarensem anno 1550 consecratum fuisse comperit vir admodum reverendus et doctissimus Johannes Wordsworth hodie episcopus Sarisburiensis, qui de his rebus, qua est urbanitate, nos certiores fecit.

quemque errorem suum acerrime perstringi sciebat, tantam occasionem adversariis praebere voluit ut consecrationem ab eo qui nunquam consecratus esset confici iuberet.

67. Praeterea plurimi fuerunt officiales quorum vel emolumenti gratia interesset novum episcopum debito more consecrari. Itaque si Barlow locum vel in parliamento vel in synodo provinciali nondum consecratus occupare contendisset, aliove modo statum episcopalem invasisset, quis dubitat quin unus alterve ex eis de tanta irregularitate nomen ei detulisset? Quod si timor Henrici Crumwellique prohiberet, aut ad Gardinerum aliumve episcopum orthodoxum in promptu erat talia facta referre, aut saltem, cum Maria regnum excepisset, lucro foret Barlovo apud potentes iam ingratissimo fraudem et impietatem et sacrilegium obicere, necnon et Cranmerum praevaricationis contra sacros canones crimine odiosissimo insimulare. Attamen nihil huiusmodi tentatum est. Altissimum silentium; cuius causa non erat nisi quod omnes sciebant Barlovum revera fuisse consecratum.

68. Porro ex epistola quae in Tabulario regni asservatur[1], patet eum personaliter Meneviae inthronizatum fuisse. Munus autem inthronizandi ex usu provinciali ad archidiaconum Cantuariensem pertinet, qui in mandato de munere agendo consecrationem episcopi inthronizandi fusius testari debet[2].

69. Ex eadem epistola comperimus rixam inter Barlovum et capitulum Meneviense de consuetudine quae locum decani in illa ecclesia episcopo daret exarsisse. Quem si locum absque consecratione ille ambiisset, canonici causam suam ea ipsa ratione defendere potuissent, quam cum silerent testimonium de eius consecratione inconcussum praebuerunt. Unde Estcourt (*op. cit.* p. 81) miratur quo modo neglecta consecratione locum et statum sibi vindicare potuerit. Sane mirandi causam perhibent ei qui factum testatissimum negare conantur.

70. Simili ratione, cum iure stabilitum sit locationes ab episcopo nondum consecrato, etiam consentiente capitulo

[1] Johannis Barlow, episcopi fratris, ad Crumwell, *State Papers*, Dom. Hen. VIII. No. 49, p. 73.

[2] Confer ea quae de inthronizatione Parkeri, n. 18, rettulimus.

factas, irritas esse[1], Ferrarius, qui in sedem Meneviensem anno 1548 surrogatus locationes a Barlovo factas antiquare voluit[2], id facillime consecutus esset, si consecrationem illius in quaestionem vocare potuisset. Nihil autem huiusmodi in actione allegatum. Item conventus fratrum Praedicatorum in oppido Brecknock ab Henrico rege Willelmo episcopo Meneviensi eiusque successoribus anno 1540 donatus est; necnon Barlow iam Bathonensis episcopus et rex Edwardus VI. agros quosdam inter se mutaverunt[3]; quae omnia Barlow nisi consecratus esset legibus facere nequiisset. Ergo ex his solis testimoniis satis constat eum fuisse consecratum.

71. Barlovi ex fratre nepos auctor fuit opusculi cui titulus *Speculum Protestantismi*[4]. Is fautor erat iurisdictionis pontificiae atque agnati sui acerrimus insectator, quem *nunquam episcopum Asaphensem*, sed tamen *consecratum fuisse in episcopum Meneviensem anno* 1536 *atque ibi sedisse tredecim annos* aperte testatur, ab eoque *omnes episcopos protestantes eorum consecrationem ac missionem trahere* animadvertit (pp. 124—126). Libellum suum anno domini 1640 aetatis vero suae 82° composuit; annos igitur plus decem iam vixerat cum Barlow noster mortem obiit.

72. In *libro computi* capituli Meneviensis qui exstat scriptum est (p. 26) "Hen. 8. Rex, Anno Regni 31, Williā Barlow episcopus." Annus 31us Henrici incipit 25 Aprilis, 1539. Ante hunc annum nihil in libro erat scriptum usque ab anno 1492[5].

73. Barlow, una cum Cranmero Cantuariensi et Yngworth Doverensi, Johannem Skypp ad episcopatum Herefordensem die 23° Novembris 1539 consecravit[6]. Hoc vero munus impendere nequaquam ei licuisset nisi ipse consecratus foret. Namque, ut regulas sacrae Theologiae iurisque ecclesiastici omittamus, leges quoque regni praecipiunt ut archiepiscopus ad consecrandum episcopum duos episcopos perfecte ac

[1] Champney, *de vocatione Ministr.* p. 167.
[2] Strype, *Mem.* vol. iii. app. 46. [3] Rymer, xv. 171.
[4] Vid. apud Le Courayer, *Défense*, append. xvii. § 6.
[5] Haddan in Bramhall, *Praef.* p. 22, not. K.
[6] Stubbs, *Reg. Sacr.* ad loc.

legitime constitutos secum comministros assumat. Id quod infestissimus adversarius noster, Sanderus, in libro *de origine et progressu Schismatis Anglicani* (lib. iii. p. 348), expressius concedit. "A tribus," inquit, "episcopis cum consensu Metropolitae ordinatus iubebatur lege comitiorum facta ad imitationem antiquorum canonum esse verus episcopus; nec alio modo ordinatum pro episcopo agnosci oportere." Unde sequitur ut iuxta leges regni Johannes Skypp, si consecrationi eius Barlow nondum consecratus interfuisset, nec sedem suam *legitime* obtinuisset, nec munera episcopalia saltem in Anglia *legitime* impendere potuisset. Quae tamen inconcusso iure faciebat. Nempe et Bonneri et Hethii consecrationibus comminister astitit[1]. Liquet ergo tam Johannem Skypp quam Willelmum Barlow ab aequalibus suis pro veris episcopis agnitos fuisse.

74. Commissionem ad consecrandum Arthurum Bulkeley Bangorensem Cranmer iure metropolitico edidit Johanni Sarisburiensi antistiti, cui mandavit ut *alios quosvis episcopos sive suffraganeos exsecutionem officii sui obtinentes in numero competenti et requisito* ad comministrandum sibi asclsceret[2]. Vigore huius mandati Johannes Salcot Sarisburiensis Willelmus Barlow Meneviensis et Johannes Wakeman Glocestrensis Arthurum Bulkeley die 19° Februarii 1542 consecraverunt. Unde constat Johanni Sarisburiensi innotuisse Barlovi consecrationem, quem in numerum assistentium nequaquam elegisset nisi de ea re certam notitiam habuisset. Porro notandum est hunc Johannem Salcot-Capon, Sarisburiensem episcopum, factioni cui favebant Cranmer et Barlow minime addictum fuisse: nempe ex eis erat qui Maria regnante sedes suas cum assensu Pontificis Romani retinebant. Praeterea ex dictis apparet nec Bulkeleio nec Wakemano suspicionem ullam de Barlovi consecratione ingruisse; nisi fortasse credis et hunc, huiusmodi praevaricationis conscium, reum de *praemunire* se lubentem praestitisse, et illum munus consecrationis ita suscipere voluisse ut prae defectu iuris, parum expleto archiepiscopali mandato, non nisi valde in-

[1] Stubbs, *Reg. Sacr.* ad loca.

[2] Registrum Cranmer., fol. 277.

certam et precariam sedis possessionem iniret. Ergo etiamsi, quod minime credendum est, rationes theologicas et canonicas prorsus neglectas fuisse censueris, tamen per leges regni satis impeditum invenies quin Barlow tali ministerio nondum consecratus interesset.

75. Barlow Parliamento saepius interfuit et locum suum in domo procerum usque a die 30° Junii 1536 obtinebat[1]. At in domo procerum, post antistites quinque sedium privilegiatarum, loci secundum tempora consecrationis episcopis assignantur[2]. Ea lex antiquitus stabilita per statutum 31 Henr. VIII. cap. 10 denuo confirmata est. Barlow autem locum in Parliamento supra alios episcopos habebat de quorum consecratione nunquam dubitatum est. Ergo et consecrationem eius et tempus consecrationis officialibus, quibus curae erat talia ordinare, innotuisse necesse est. Quod si locum in Parliamento praelatus nondum consecratus occupasset[3], infra omnes episcopos consecratos certissimo sepositus fuisset; imo post abbates et priores, quorum octo et viginti[4] ad parliamentum eo anno summoniti fuerunt, siquidem eodem iure praelatico praetermissa consecratione locum sibi vindicasset, sedere, ni fallimur, debuisset. Atqui ex his, qui Barlovo prae notis eius opinionibus nati erant insectatores, nemo contra locum eminentiorem ei collatum reclamavit. Nec vero credendum est viros acerrimos et contra tyrannidem regis Henrici paulo postmodum adusque capitis periculum repugnaturos talia socorditer neglexisse. Ergo silentium

[1] *Journals of the House of Lords*, vol. i. p. 92.

[2] Gibson, *Codex*, tit. v. cap. vi.

[3] Aliqui negaverunt episcopum nondum consecratum iuxta morem regni locum in Parliamento obtinere posse. Inde Lingard (*Birmingham Catholic Magazine*, vol. v. p. 500) rationem petit qua consecrationem Barlovi confectam fuisse absolute demonstret. Item Le Courayer (*Dissertation*, Tom. i. p. 53) ostendere voluit nullum huiusmodi casum usque a tempore Edwardi III. exstitisse. Nobis autem haud ita probatum id videtur ut argumentum ad stabiliendam Barlovi consecrationem inde reportemus. Namque Gibson (*Codex*, p. 148) expressius asserit episcopo *electo et confirmato* privilegium parliamenti tanquam *praelato* spiritualibus praedito competere. Necnon constat ipsum Barlovum mense Aprili 1536 ad Parliamentum summonitum fuisse (Rymer, xiv. 564), quo tempore eum iam dudum consecratum fuisse paene impossibile est.

[4] Vide eorum nomina apud Rymer, xiv. 564.

eorum maximo argumento Barlovo est quod notorie consecratus erat.

76. Quod autem Estcourt (*op. cit.* p. 67) insinuat Barlovum cum primo locum suum die 30° Junii obtineret, post Sampsonum et Reppisum, qui consecrati erant die 11° Junii, se lubentius collocasse ne quid de consecratione sua quaereretur, auctor pessime ratiocinatus est. Namque admodum verisimile est hos duos praesules aut ante Barlovum aut saltem eodem die consecratos fuisse[1]; et constat eos in Parliamentum ante eum admissos[2] esse; unde sequitur ut loci priores illis iure competierint. Nec vero hac ratione Barlow quaestionem de tempore suae consecrationis evadere potuit. Quarto enim die Julii proximi sequentis, Edwardus Fox, Herefordensis episcopus, qui anno 1535 consecratus erat[3], loco suo tandem occupato Barlovum aliosque quattuor episcopos iam antea in ordine collocatos iure temporis praecedebat[4]. Ex quo constat de tempore Barlovi consecrationis inquirendum fuisse, adeo ut Foxo locus eminentior recte assignaretur.

77. Necnon in synodis provincialibus Barlow a metropolitano ascitus cum aliis episcopis deliberabat, rebus determinatis annuebat, nomen suum ante alios episcopos consecratos subscribebat. Nemo reclamavit. Nemo ex senioribus episcopis, contra quos acriter disputabat, ad synodum de eius consecratione rettulit. Quis tamen credat eos permisisse ut ille locum statum dignitatem episcopalem in fraude iuris usurparet? Quin ipse Estcourt ingenue fatetur (*op. cit.* p. 77) magnum esse de veritate consecrationis argumentum quod episcopi qui fidem catholicam circa sacramenta eis temporibus firmiter tenebant, Lee Eboracensis, Stokesley Londiniensis aliique, nihil obiecerunt quominus Barlow munere episcopali fungeretur. Imo nisi Barlovum rite consecratum agnovissent certissimo reclamassent et res eis effectui cessisset.

[1] Vide infra, n. 82.

[2] Sampson, 12° Junii, Reppis, 17° Junii, *Journals of the House of Lords*, vol. i. pp. 85, 87.

[3] Stubbs, *Reg. Sacr. Angl.* p. 79.

[4] *Journals*, vol. i. p. 93.

78. In libello manuscripto apud Collegium Heraldicum Londiniense asservato, cui titulus *Funeral Certificates and Burials* (I. ii. p. 92), exstant nomina episcoporum qui ad obsequias Henrici VIII. peragendas deputati sunt. Hi fuerunt Stephanus Gardiner Wintonensis, Cuthbertus Tunstall Dunelmensis, Edmundus Bonner Londiniensis, qui ex privilegiis sedium suarum primo nominantur, Thomas Goodrich Eliensis, Willelmus Barlow Meneviensis, Henricus Holbeach Roffensis, Johannes Wakeman Glocestrensis, Arthurus Bulkeley Bangorensis, Paulus Bushe Bristoliensis. Indagatori apparebit hos praesules in ordine dispositos esse secundum tempora consecrationis; nam consecrati sunt Eliensis 19° Aprilis 1534, Roffensis 24° Martii 1538, Glocestrensis 25° Septembris 1541, Bangorensis 19° Februarii 1542, Bristoliensis 25° Junii 1542. Unde liquet Barlovum *post* Eliensem *ante* Roffensem fuisse consecratum.

79. Stephanus Gardiner, episcopus Wintonensis, in litteris[1] ad ducem Somersetiae scriptis, de concione a Barlovo infra quadragesimam anni 1547 habita, gravissime querebatur. Concionatorem *dominum Meneviensem* et *confratrem suum Meneviensem* appellavit; nec vero credendum est eum qui Barlovo doctrinam falsam vel saltem temerariam obiecerit, prae metu abstinuisse quin accusationem graviorem praeferret. Id concedit Estcourt (*op. cit.* p. 78) qui tamen aliquid de hoc testimonio detractare ea ratione conatur, quod Gardiner tempore quo Barlow promotus erat Parisiis legatione fungebatur atque ea quae domi gerebantur fortassis ignorabat. Attamen alii ex eisdem partibus episcopi in Anglia commorantes ea ignorare prorsus nequibant, qui si qua irregularitate promotio affecta esset Gardinerum de ea certiorem fecissent; Gardiner autem catholicae praxis et fidei impigerrimus propugnator nequaquam in dubio restitisset quominus fraudem et irregularitatem magno cum suorum triumpho detegeret.

80. In publicis instrumentis Maria regina Barlovum tanquam verum episcopum plane agnovit. Mense Martio 1554 licentiam edidit eligendi ad sedem Bathonensem

[1] Apud Foxe, *Martyrs*, vol. vi. p. 24, referuntur.

vacantem *per liberam et spontaneam resignationem ultimi episcopi.* Eadem verba in brevi de temporalibus Gilberto Bourne Barlovi successori restituendis leguntur. At in mandato regio pro consecratione eiusdem Gilberti Bourne sedes *per deprivationem et amotionem ultimi episcopi ibidem* vacare dicitur [1]. Utrum per resignationem an per amotionem sedes reipsa vacaverit parvi interest; utrimque affertur testimonium ad Barlovi characterem episcopalem stabiliendum. Namque seu resignationem actu praestitit, praesupponitur consecratio, sive auctoritate regia amotus est, non nisi causa matrimonii contracti id factum vel clarius indicat nihil de consecratione eius dubitatum fuisse [2]. Mariam enim et consiliarios eius ad praevaricationem in tali re consensisse prorsus incredibile est.

81. Denique ante annum 1616, scilicet post Barlovi promotionem octogesimum, post mortem vero quadragesimum octavum, nunquam in quaestione versabatur eius consecratio. Tum demum a praestantissimo fabulatore, Champnaeo, controversia conflata est [3].

82. Ex dictis apparet Barlovum immediate post Sampsonum Cicestrensem et Reppisum Norwicensem in ordine fuisse dispositum. Hi vero die 11° Junii 1536 Lambethae a Cranmero assistentibus episcopis Exoniensi et Bathonensi consecrati sunt [4]. Eodem die et Barlovum consecratum fuisse vir admodum cautus atque in rebus historicis peritissimus indagator A. W. Haddan pro certissimo habuit [5]. Et

[1] Rymer, xv. pp. 369 et 376.

[2] Quanam causa praetensa fuerit tam resignatio quam deprivatio probabiliter docuit Wake apud Le Courayer, *Défense de la Dissertation*, append. ix. Tempore Edwardi VI. Johannes Voysey sedem Exoniensem resignavit; qui postmodum, extruso successore eius Milone Coverdale, a regina Maria restitutus est ea ratione quod prae timore resignationem minime liberam praestitisset. Bourne igitur cavendo ne simili ratione Barlovo temporibus mutatis restituto a sede Bathonensi detruderetur, resignationem sententia quadam deprivationis corroborandam curavisse videtur.

[3] Cf. app. iv.

[4] Stubbs, *Reg. Sacr. Angl.*

[5] Haddan in *Bramhall*, vol. iii. *Praefat.* p. 13. *Apostolical Succession*, p. 217. Quod Estcourt (*op. cit.*, p. 66) contra allegat exstare in Bibliotheca Bodleiana apographum quoddam litterarum (*Ashmolean MSS.* no. 857, fo. 48) die 12° Junii 1536 datarum, in quibus Thomas Crumwell Barlovum "nunc *electum* Meneviensem"

notatu dignum est nec Reppisi nec Sampsoni consecrationem in Registro memorari. De Reppiso quidem litterae certificatoriae non suo loco insertae inter acta anni 1537 reperiuntur: de Sampsono autem nihil post confirmationem memoratur. Testimonia aliunde reportantur. Patet igitur Registrum eo ipso tempore incuriosissime fuisse compositum.

83. Nec tamen ad hunc ipsum diem consecrationem necessario referimus. Certum quidem est eam ante diem 2um Julii proximi sequentis confectam esse, quo die Wharton Asaphensis consecratus est qui Barlovum in ordine constanter sequebatur. Sed inter diem undecimum Junii et secundum Julii plures intervenerunt dies Dominici, quorum unus alterve huic muneri assignari potuisset, necnon plures Londinii morabantur episcopi qui synodo provinciali assiderent. Facile igitur de consecratione unius episcopi provideri potuit. Neque adeo mirabile est registrarium archiepiscopalem eius memoranda sicut et Reppisi et Sampsoni in tali rerum discrimine neglexisse. Tantis enim in negotiis eo tempore versabantur officiales ecclesiastici ut res quotidianas non sine venia quadam praetermittere possent. De divortio et condemnatione reginae Annae Bullen iam in synodo agebatur; totus clerus in convocatione sua novatores atque haereticos acerrime perstringebat; locum in S. Synodo Thomas Crumwell tanquam regis vicegerens insolenter sibi arrogabat; de monasteriis abolendis iam ingruebat timor et expectatio; de articulis fidei penitus explorandis quaestiones in synodo movebantur; magna et perniciosa seditio cui interfuerunt abbates et praelati non pauci in partibus regni septentrionalibus comparabatur[1]. Quid mirum si tantae rerum confusionis vestigia in registris appareant? Porro quis credat aut Cranmerum aut alios quosvis, in tali discrimine rerum illaqueatos, cum praesertim

appellat, minimi ponderis esse nobis videtur. Nempe in litteris de re admodum triviali legationem Scoticam attingenti haud mirum est Barlovum, qui *electus Meneviensis* negotia ibidem tam diu peregerat, per incuriam quandam usitatissimo nomine minus accurate nuncupari. Imo verisimile est huiusmodi litteras a scriba redactas fuisse, cui Barlovi consecrationem iam tunc perpaucas tantum horas confectam innotuisse minime credendum est.

[1] Vide Dixon, *History*, vol. i. pp. 398 seqq.

post casum Annae reginae omnibus eius amicis novarumque rerum fautoribus infensum fore Henrici animum plerique sperarent, aliquid de promotione episcopi cum periculo capitis temere innovasse? Non sane hoc saltem tempore id faciendum.

84. Consecratio istis diebus confecta cum ordine episcoporum tam in Parliamento quam in synodo provinciali optime convenit. Barlow enim inter Reppisum et Whartonum semper collocatus est. In eodem ordine subscripserunt episcopi (1) Articulis in convocatione cleri anno 1536 mense Julio redactis[1], (2) Litteris ad regem a praelatis utriusque provinciae die 11° Julii 1536 datis[2], (3) Declarationi de conciliis generalibus die 20° Julii eiusdem anni factae[3], (4) Libro *de Institutione Christiani*, anno 1537 edito[4].

85. Satis et amplius in hac parte disputavimus. Tandem ut uno verbo, nec quidem nostro, sed potius ad mentem ingenui cuiusdam adversarii argumentum absolvamus, Lingardi sententiam, qua totam controversiam summatim disceptat, grato animo proferemus. "Cur tandem," inquit, "nobis credendum est ex omnibus qui tam diu regnante Henrico octavo floruerunt episcopi solum Barlovum absque consecratione episcopali episcopalia munera continenter impendisse? Electus et confirmatus iuxta legem anno eiusdem regis vicesimo quinto latam, quidni iuxta eandem legem et consecratus fuisse reputatur? Num talis fuit Cranmer qui reum de *praemunire* se sponte praestaret? Anne eum habuit principem Henricum qui leges impune perfringi sineret? Ad regium primatum stabiliendum quo magis recursus ad Romam praecideretur latum erat statutum, cuius si conditiones neglexissent, et Barlow et Crumwell tanquam fautores auctoritatis papalis poenis gravissimis obnoxios procul dubio se praestitissent. Annos decem omnibus tam sacris quam civilibus muneribus atque honoribus, quae episcopi consecrati

[1] Cotton. MSS. *Cleopatra*, *F.* fol. 39.

[2] Wilkins, *Concilia*, vol. iii. p. 882.

[3] Vide MS. in bibliotheca collegii C. C. Cantabrigiensis *Miscel.* viii. fol. 401. Cf. Wilkins, *Concilia*, iii. 809.

[4] Collier, *Ecclesiastical History*, vol. iv. p. 402.

propria fuere, Barlow perfungebatur; locum tam in Parliamento quam in convocatione cleri tanquam dominus et episcopus Meneviensis obtinebat; a Gardinero *confrater Meneviensis* appellatus est; sacerdotes ordinabat; consecrationi doctoris Bulkeleii pontificaliter interfuit; attamen nunc temporis postulatur ut credamus neminem nec suffragiis quae ille illicita ferret, neque ordinationibus quas irritas conficeret, nec muneribus pontificiis quibus notorie sacrilegis fungeretur, contra dixisse. Quidnam igitur haec tam improbabilia tam incredibilia credamus? Ecquid argumenti est quin ille episcopus fuerit? Minime gentium. Hoc unum dicendum, in nullo registro acta consecrationis eius reperta exstare. Nec vero et aliorum quamplurium, et praesertim Gardineri. Ecquis illorum consecrationes in quaestionem idcirco vocavit? Quid precor Barlovi consecrationem cavillari, Gardineri sinere debeamus? Vereor ne haec unica sit causa, quod Gardinero nihil erat cum Parkero, quem Barlow consecravit[1]."

[1] *Birmingham Catholic Magazine*, vol. v. p. 704–5. Cf. *History of England*, eodem auctore, vol. vi. pp. 329, ap. DD. Haec ultima verba tanquam controversiam disceptantia nuperrime citavit Dalbus, *Les Ordinations Anglicanes*, p. 18.

CAP. III.

De Ritu in Consecratione Parkeri adhibito.

86. Revera consecratum fuisse Parkerum, idque ab idoneis ministris confectum, hactenus demonstravimus. Sequitur ut obiectiones quae ritum in consecratione adhibitum attingant proinde examinemus.

Contentio haec fere est. "Parker, etiamsi Lambethae sicut in registro exponitur de facto consecratus fuerit, nihilominus validam consecrationem minime recepit, siquidem consecratores reiecto Pontificali in Anglia antiquitus usitato novum quemdam ritum ab ipsis reformatoribus exaratum usurpaverunt, qui nec materiam nec formam sacramenti adaequatam praestaret." Huic obiectioni nisi satis responsum fuerit, liquebit et Parkeri et aliorum nostrorum, qui per eundem ritum exinde promoti sint episcopi, prorsus nullas atque irritas esse consecrationes. Ideoque ad hanc disputationem aggrediemur. Cuius absolvendae causa quaerendum est primo, quaenam sint partes essentiales sacramenti in genere, deinde ex quibus constet sacramentum Ordinis, tertio utrum ea quae in ritu Anglicano pro consecratione episcopali adhibentur ad characterem imprimendum sufficiant.

I. *De partibus essentialibus Sacramenti.*

87. Ad primam quaestionem disceptandam verba viri in Sacra Theologia doctissimi F. L. B. Liebermanni grati referemus; qui talia disserit. "In hac quaestione quaedam sunt ad fidem Catholicam pertinentia; sunt et alia, de quibus inter

theologos disceptatio est, quam tamen componere non esset admodum difficile. In hoc omnes conveniunt quod dicant sacramenta N. T. ex materia et forma constitui; quamvis non eadem omnes ratione illud intelligant. Sacramenta enim, quamvis proprie neque compositum aliquod physicum appellari possint, neque artificiosum, habent tamen quandam cum utroque analogiam. Et quidem si cum re arte facta comparatur sacramentum (est enim et ipsum res quaedam artificiosa), tum sine dubio *materia* est illud omne, quod rationem signi habet, quod sensibus percipitur, sive res sive verba; *forma* autem, quod neque videtur neque auditur, scilicet tam rerum quam verborum significatio. At potest etiam sacramentum considerari, ut est simile composito physico, et ita verum est quod vulgo dici solet, sacramentorum materiam esse res, formam verba. Quod ita explicat Bellarminus (*De Sacram.* lib. i. c. xviii.) 'Ut in composito physico materia praecedit, forma accedit, ita in sacramento verbum accedit ad elementum. Item in composito physico materia est indeterminata sed coarctatur a forma; ita in sacramento verbum determinat indifferentiam sacramenti. Denique ut in composito physico materia est imperfecta, forma est perfecta, et dat esse rei, ita in sacramento verba sunt rebus perfectiora, cum sunt signa multo clariora et praestantiora.'—'Addenda erant verba ad materiam,' ait Catechismus C. T. (Pars ii. quaest. xiv.) 'ut apertior clariorque rei, quae gerebatur, significatio fieret. Verba enim inter omnia signa maximam vim habere perspicuum est; ac si ipsa desint, plane obscurum erit, quidnam materia sacramentorum designet ac demonstret, ut in Baptismo licet videre.' Notandum tamen quod, cum dicimus sacramenta rebus constare et verbis, illud non ita accipi debeat quasi verba non possint *rei* locum tenere, et rem esse subinde ad instar *verborum*. Sic in sacramento Poenitentiae confessio res dicitur aut materia sacramenti; in Matrimonii autem sacramento, omnium consensu, loco verborum sufficiunt nutus aut litterae."

88. "Jam saepe observatum fuit a theologis veteres ecclesiae scriptores nihil explicite de materia et forma sacramentorum tradidisse. Communiter illi tradunt duo in sacra-

mento reperiri, signum et rem sacram. Signi nomine intelligebant quicquid sensibus percipitur; rei sacrae aut invisibilis nomine gratiam seu effectum sacramenti designabant. Eodem paene recidit quod non raro etiam veteres dicunt, aliud esse sacramentum, aliud rem sacramenti. Tunc enim sacramentum signum, res gratiam denotat. Ita et illud frequentissime occurrit, sacramenta rebus constare et verbis; qua in re notum est atque apud omnes pervulgatum illud S. Augustini testimonium (Tract. lxxx. in Joan.) '*Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.*' Tandem theologi scholastici *materiae* et *formae* nomina a philosophia mutuati sunt et in sacramentorum doctrinam induxerunt, quod tamen ante saeculi decimi tertii initia factum non est... *Morinus* existimat, *Guillelmum Antissiodorensem* circa annum 1215 primum omnium partes sacramentorum per materiae et formae vocabula distinxisse, quem loquendi modum ut commodum et utilem ecclesia dein tum Graeca tum Latina adoptavit; unde nunc ab eo recedere absque temeritate nemo potest[1]."

89. Exinde pergit auctor doctissimus ad defendendam ex auctoritate ecclesiae universalis thesim quod sacramenta omnia N. T. rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma constant. Ecclesiae Latinae doctrinam ex eis reportat quae in Eugenii IV. *Decreto ad Armenos* dicuntur: "*Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conficientis sacramentum,*" quibuscum convenit concilii Tridentini definitio, quae traditum ab ecclesia occidentali usque ad saeculum sextum decimum testatur. (Sess. xiv. cap. iii.) Ad ea conferenda quae ab ecclesia orientali tradantur citat Responsum Jeremiae Patriarchae Constantinopolitani ad Wittenbergenses, cuius in octavo capitulo docetur *omnia sacramenta definitam materiam et formam habere, ut Baptismi materia est aqua, forma verba sacerdotis.* Eandem doctrinam ostendit a Gabriele Philadelphiae Metropolita in libello de sacramentis proferri. Item

[1] Liebermann, *Institutiones Theologicae*, lib. vi. pars i. cap. 1 *De Natura Sacramentorum*, § ii. *Quae sint partes Sacramentorum*, vol. ii. p. 371, ed. nona, Moguntiae, 1861. Cf. Franzelin, *De Sacramentis in genere*, Thes. iv.

in synodo Hierosolymitana, sub Dositheo, anno 1672 habita, notat mentionem factam fuisse *materiae Baptismi.*

90. E quibus tandem effecta est conclusio quod nullum prorsus exstet sacramentum "in quo non aliquid sit minus determinatum, quod *materiae* nomine signari solet, et aliud quod rem ex se indifferentem ad unum potius quam ad aliud significandum determinet; et hoc *formae* nomen iure sibi vindicat. Inde illud S. Augustini effatum de Baptismo (Tract. lxxx. in Joan.) *Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*"

II. *De Materia et Forma Sacramenti Ordinis.*

91. His satis exploratis ad alteram quaestionem pergendum est. Quaerendum igitur quanam constet materia et forma sacramentum Ordinis. Verum animadvertenda est quaestio praevia quae inter theologos controversa est, utrum Dominus noster Jesus Christus has partes essentiales ordinationum hierarchicarum in genere tantum an etiam in specie instituerit. Opiniones de hac re diversas a Petro Gasparri in tractatu de sacra ordinatione luculenter dispositas invenimus; cuius verba liceat nobis mutuavisse.

92. "Plerique putant Christum D. voluisse ut ordines hierarchici conferrentur per impositionem manuum, et per verba exprimentia potestatem ordinis quae datur, relicto Ecclesiae munere haec verba determinandi. Hinc materia ordinationis non potest esse nisi una in omnibus locis et temporibus, id est impositio manuum; forma autem potest esse diversa, dummodo quaelibet exprimat potestatem ordinatione datam. Et quoniam Ecclesia nil potest in *substantiam sacramentorum*, uti docet Conc. Trid. Sess. xxi. cap. ii., proinde Ecclesia nequit declarare nullos ordines hierarchicos, si collati sint manuum impositione ac verbis satis exprimentibus potestatem, licet aliis a determinatis ab ipsa; et vice versa nequit validos declarare ordines hierarchicos, si aliter collati sunt. Quaenam vero verba satis exprimant potestatem ordinis qui confertur, ex nihilo melius colligi potest, quam ex facto Ecclesiae.

93. "E contrario non pauci eximii theologi censent Christum D. voluisse tantum ut ordines hierarchici darentur *per signa et verba exprimentia potestatem*, relicta Ecclesiae ampla facultate determinandi tum signa tum verba; et signis ac verbis ab Ecclesia determinandis adnexam voluisse vim conferendi gratiam et imprimendi characterem. Hinc Ecclesia potest determinare pro uno loco unum signum et aliqua verba, e.g. pro Ecclesia Orientali impositionem manuum ac relativa verba, et pro alio loco aliud signum aliaque verba, e.g. pro Ecclesia Latina traditionem instrumentorum ac relativa verba; ita ut ordines collati Orientalibus ritu Latino ac vice versa sine apostolico indulto sint non solum illiciti, sed etiam invalidi, licet de facto Ecclesia statuerit esse tantum illicitos. Item Ecclesia potest pro eodem loco prius determinare unum signum et aliqua verba, e.g. in Ecclesia Latina manuum impositionem cum relativis verbis, deinde aliud signum aliaque verba, e.g. instrumentorum traditionem cum relativis verbis; ita ut ordines collati antiquo ritu per solam impositionem manuum cum relativis verbis sint non solum illiciti, sed etiam invalidi. Eodem iure Ecclesia potest etiam pro eodem loco et tempore constituere ut signa ac verba a se determinata sint inefficacia, nisi minister aut subiectum aliquas praetulerit conditiones.

94. "Notandum vero est non omnes fautores huius sententiae admittere quod Ecclesia posset ritus sacramenti ordinis efficaces reddere inefficaces pro alio loco, pro alio tempore aut pro personis aliquas conditiones non prae se ferentibus, quia exinde sequeretur Ecclesiam aliquid posse in substantiam sacramenti ordinis contra doctrinam Tridentini[1]."

95. Hae sunt opiniones in scholis iactitatae; quarum altera, ut ait Benedictus XIV., "duas gravissimas offendit difficultates. Primo quidem non satis probatur quod Christus Dominus praedictam potestatem fecerit Ecclesiae; imo oppositum videtur evinci ex Tridentino, sess. 21 cap. 2, ubi declarat a Christo relictam esse Ecclesiae potestatem mutandi quae sacramentorum dispensationem respiciunt, *salva illorum*

[1] Gasparri, *Tractatus Canonicus de Sacra Ordinatione*, cap. v. § ii. art. i. n. 985–6.

substantia; mutatio vero materiae et formae non ad ritum et dispensationem, sed ad substantiam pertinet. Deinde, data Ecclesiae facultate, de qua est sermo, gratis omnino et arbitrario fingitur quod Ecclesia ea usa fuerit; dicant enim, ubi et quando, quo saeculo, in quo concilio, a quo pontifice facta sit eiusmodi mutatio? Enimvero, si Ecclesia ab ordinationis ritu ea ablegasset, quae antiquitus fiebant, cogeremur utique affirmare, ordinationis materiam et formam fuisse Ecclesiae auctoritate mutatas, novasque antiquis subrogatas. Sed cum omnia, quae habentur in antiquis ritualibus, perseverent intacta, ac sancte et integre etiam nunc peragantur, nemo facile credet illa eadem, quae iampridem satis erant, nunc ad ordinis sacramentum perficiendum amplius non sufficere[1]."

96. Talia disseruit pontifex doctissimus. Cui si assensum fuerit sequetur ut sola materia sacramenti ordinis sit impositio manuum, quam solam, ut ait Morinus, agnoscant patres omnes, ritualesque omnes antiqui tam Graeci quam Latini[2]. Necnon et Bellarminus, qui porrectionem instrumentorum necessariam existimabat, et duabus materiis duabus formis duplicem sacerdotii potestatem conferri volebat, cum impositionem manuum tanquam essentialem defenderet, hanc solam in sacris Scripturis pro symbolo externo ordinationis tradi animadvertit; at vero "Scriptura," inquit, "non solet in aliis sacramentis tradere nisi essentiales caerimonias et vix etiam illas integre; quis ergo sibi persuadeat in hoc sacramento semper nominari ritum accidentarium, omisso essentiali? Denique Paulus dicit per manus impositionem dari gratiam 1 Tim. iv. et 2 Tim. i. Ergo manus impositio est pars sacramenti essentialis, non enim gratiae promissio facta est caerimoniis accidentariis sed essentialibus." Citat etiam traditiones pontificum et conciliorum complurium, quae "passim affirmant manus impositione conferri ordines. Ipsum etiam Tridentinum concilium (quod est observandum propter eos qui post concilium celebratum aliter sentiunt), sess. iv. c. 3 *de extrema unctione*, dicit ministrum extremae unctionis esse

[1] Benedict. XIV. *de Synodo Dioec.* viii. x. x.

[2] Morinus, *de Sacr. Eccl. Ordin.* p. iii. ex. ii. c. i. § 2. Cf. Perrone, *Tract. de Ordine*, cap. iv. § 123.

episcopum aut presbyterum rite ordinatum *per manus impositionem*." Citat patres tam Graecos quam Latinos qui manuum impositione sacerdotes ordinari dicunt, "quod idem omnes veteres passim docent. Dicere autem omnia concilia, pontifices, et patres, loqui de accidentaria caerimonia ridiculum est; cum nusquam ponant aliam caerimoniam et saepe ex professo tractent de ritu ordinationis. Quis enim credat tot patres et concilia, cum nihil frequentius tractent quam ordinationes sacerdotum, ne semel quidem attigisse id quod ad essentiam sacramenti pertinet[1]?"

97. Optime ratiocinatus; nec facile intelligimus quanam ultro ratione auctor argutissimus sibi persuaserit ut porrectionem instrumentorum, quam nullos veteres praenuntiare ipse docuit, materiam esse coessentialem putaret. Unde et Bellarminum ad nostram defendendam sententiam testem vel invitum constituimus.

98. Eodem spectat id quod Liebermann diserte docuit, eos qui maximae eruditionis laude floruerint, et in perscrutandis Graecorum ritibus ac veteris Ecclesiae monumentis diligentius versati sint, pro ea sententia stare, quod sola impositio manuum materia sit necessaria et essentialis; quos his praesertim rationibus eo inductos fuisse ostendit, "(1°) quod Scripturae de sola manus impositione loquantur; (2°) quod vetus Ecclesia, etiam Latina, per decem saecula semper ordinaverit per manus impositionem, traditionis autem instrumentorum nulla fiat mentio; (3°) quod apud Graecos sola manuum impositio in usu sit semperque fuerit. Ad haec observat Morinus (*op. cit.* p. iii. ex. i. cap. 1), 'Nemo dubitare potest antiquos Latinos, a quibus accepimus ordinationes, et quod sacerdotes sumus, legitime et valide sacerdotes consecrasse. Certissimum est neminem ordinationes Graecas criminari posse quin crimen in Latinos redundet, cum utrique mutuo alterius ordinationes probaverint. Inde necessario sequitur id esse ad materias et formas notandas ex ritibus Graecis et Latinis eligendum, quod est semperque fuit utrisque commune'...id est manuum impositio cum oratione[2]."

[1] Bellarminus, *de Sacra Ordinatione*, lib. i. c. ix.

[2] Liebermann, *op. cit.* lib. vi. pars v. cap. ii. art. i. § 1.

99. Porro cum dictis arcte convenit Goar in Euchologio, p. 256. Notato enim quod ritus orientalis nullam aliam indicat ordinis materiam praeter manuum impositionem, hanc quoque et Latinis materiam esse argute probat. "Cum in universa Ecclesia," inquit, "unam sacramentorum administrandorum rationem essentialem (materiam nimirum et formam) statuere necesse sit, nec in Graeca illius portione alia quam manus impositio queat assignari, indubie sequitur in Latina eandem quoque essentialem esse reputandam." Porro Graecorum de his rebus opinione communi, ac verbi *χειροτονίας* interpretatione, ex Symeone Thessalonicensi relata, ita pergit; "*Gratiae* per Christum sacramentorum authorem *communicationem et distributionem* unica haec manus impositio repraesentat; et proinde, quae est sacramentorum natura, quod significat, operatur. Annon etiam dextera Domini glorificatur in virtute, cum Latino diacono manum imponit episcopus, dicens *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini?*" Porrectionem autem instrumentorum materiae locum habere expresse negat; namque "manuum impositioni adveniunt traditiones instrumentorum ut accidens subiecto, eiusque solummodo extensio sunt, et, ut ita dicam, nuda obscure traditae potestatis explicatio. Cum namque manus et dexterae voce non raro occurrat in Scriptura Dei potestas et virtus intellecta, eius pontificalis impositio, *χειροτονία*, nihil aliud praeter divinae virtutis et potestatis donum sive communicationem arguere debet in praesule, Dei nomine sacros ordines conferente." Haec enim *χειροτονία* "non nudam manus extensionem in creandis magistratibus, proindeque solam eorum electionem exprimit, quin potius veram eorundem promotionem et institutionem, spirituali tradita potestate, et a superiore manum imponente in inferiorem sibi suppositum traducta virtute."

100. Hactenus Goar, qui in ritu Latino haud secus atque in Graeco manuum impositionem solam materiam essentialem esse plane probat. Huc refert Benedictus XIV., qui loco antea citato testatur Ecclesiam Romanam ordinationes orientales ea ratione absque dubio recepisse quod impositio

manuum, quae testibus Arcudio et Euchologio sola materia adhibeatur, ad sacros ordines conferendos sufficere existimetur. Neque in conciliis Lugdunensi et Florentino assistentibus Graecis quaestio de hac re agitabatur, neque ipse Clemens VIII., cum Russianos episcopos et presbyteros et diaconos in gremium Romanae Ecclesiae recipiendos curaret, quidpiam ad ordinationes eorum complendas suppleri voluit[1].

101. Huc usque de materia. Si tandem ad *formam* spectaverimus liquido apparebit nulla verba exclusive indicari posse tanquam sola ad sacramentum conficiendum effectiva[2]. Namque pro varietate temporum et locorum variata sunt et verba in sacris ordinationibus prolata. In antiquis Pontificalibus Ecclesiarum Latinarum non est dubium quin forma pro consecrando episcopo oratio fuerit eucharistica ad instar praefationis, quae in Missali Francorum *Consecratio* nuncupatur, *Deus honorum omnium &c.* Ita testatur Gasparri (*op. cit.* n. 1092) qui contra in Pontificali Romano hodierno formam esse verba *Accipe Spiritum Sanctum* iuxta communem sententiam existimat (n. 1109). Praeterea verba quibus Graeci formam episcopalis consecrationis exhibent nec sunt neque unquam fuerunt eadem quibus Latini vel utuntur vel utebantur.

[1] Conferri jubet Natalem Alexandrum, *Theol. Dogm. et Moral.* lib. ii. *de Sacr. Ord.*, art. vii. § 2; Morinum, *de Sacr. Ord.*, p. iii. exerc. 7, c. i. n. 8; Cabassut., *Notit. Eccl. Saec. iv. App. Conc. Carthag.* n. 4 et 5; Tournely, *Praelect. Theol. de Sacr. Ord.*; Card. de Lugo, *de Sacram.* disp. ii. § 5, n. 85; Card. Albitium, *de In. Const. in Fide*, c. 30, n. 374; Verricell., *de Apost. Miss.* t. xi. qu. 168, § 3, n. 22.

[2] Ex Actis Genuinis Concilii Tridentini (Theiner, vol. i. p. 646, et vol. ii. p. 152) apparet patres concilii in decretis digerendis definitionem dogmaticam circa materiam et formam sacramenti ordinis de industria vitasse. Namque cum relata essent ad concilium decreta his verbis concepta, "Si quis dixerit unctionem non *requiri* in sacramenti ordinis traditione anathema sit," et "Si quis dixerit episcopum *dum ordinat* frustra dicere 'Accipe Spiritum Sanctum' anathema sit," patres tandem, omissis his verbis '*dum ordinat*,' noluisse videntur solummodo in istis *Accipe Spiritum Sanctum* formam ordinationis definiri (*De Sacramento Ordinis*, Canon iv.), et mutatis verbis de sacra unctione id solum anathemate notaverunt, "Si quis dixerit sacram unctionem qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur *non tantum non requiri sed contemnendam et perniciosam esse*" (Canon vi.). Ideoque cauti evaserunt quin sacram unctionem pro *materia* ordinationis posuisse viderentur. Nec tamen alibi de forma et materia quicquam specifice dixerunt.

102. Hoc tantum requiri videtur, ut verba quae adhibentur vel ipsa sola collationem ordinis qui intenditur satis exprimant, vel etsi in se sint indeterminata tamen sive orationibus concomitantibus sive ipsius ritus circumstantiis et caerimoniis eo diserte determinentur ut per ea potestas ordinis conferatur.

103. Ad hanc igitur conclusionem pervenimus quod *materia* adaequata sacramenti Ordinis sit manuum episcopi vel episcoporum impositio; *forma* vero adaequata in quibuslibet verbis contineatur quae saltem cum circumstantiis ritus constructa, seu ad instar orationis seu modo imperativo proferantur, potestatem ordinis conferendi certo exprimant.

104. Quae quidem Gasparri in tractando Pontificali Romano ita luculenter disseruit ut nobis temperare nequeamus quin eius verba citemus. "Jam vero," inquit, "inter omnes hos ritus, quos Pontificale Romanum praescribit in episcopali consecratione, communis sententia est materiam esse impositionem manuum episcopi consecrantis (potius episcoporum consecrantium) et formam esse relativa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*[1]. Nos ex criterio exposito n. 988, putamus in hypothesi impositionis manuum episcopi cum sola praefatione absque illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, consecrationem valere, sicuti valebat in antiqua liturgia; quomodo enim probas Ecclesiam huic orationi eucharisticae vim consecrativam ademisse? Pariter in hypothesi impositionis manuum episcopi cum solis illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, absque praefatione, admittimus cum communi sententia ordinationem esse validam, quia licet illa sola verba in se inspecta sint indeterminata, et non satis exprimant collationem ordinis episcopalis[2], tamen satis determinantur non solum praefatione, sed ipsamet caeremonia sine praefatione" (*op. cit.* n. 1109).

[1] D'Annibale, iii. § 151; Scavini, iii. n. 597; S. Alph. vi. n. 738; Hallier, p. ii. sect. ii. cap. ii. art. ii. § ii. n. 3.

[2] Lehmkuhl, *Theol. Mor.* vol. ii. n. 589.

III. *De Materia et Forma in Ritu Anglicano.*

105. Tandem ad tertiam quaestionem pergendum est. Quaeritur utrum in ritu quo Parker consecratus fuit materia et forma adaequatae pro consecratione episcopali adhibeantur.

Imprimis notandum est Ecclesiae omnium consensu licere ritus, quibus dispensantur sacramenta, mutare ac variare, dummodo nihil in substantiam sacramenti attentetur. Quinetiam hanc potestatem non Ecclesiae tantum universali, sed pro diversitate locorum et temporum Ecclesiis etiam particularibus concessam esse ex eo probatur quod ritus diversi ab episcopis in usum propriarum dioecesium compositi et fuerunt et etiam nunc exstant. Constat enim, ut docet Renaudot in Dissertatione de Syriacis Melchitarum et Jacobitarum Liturgiis, p. xiii., orientales antistites, ex episcopali auctoritate qua semper in ordinandis ecclesiasticis officiis usi sunt, formulas quibus dispensentur sacramenta tam Baptismi quam Poenitentiae, necnon libros rituales cum adiunctis vel etiam liturgias composuisse. Eodem modo et in Ecclesia occidentali ritus formulas caerimonias pro sacramento ordinis administrando variatas fuisse ad arbitrium cuiusvis episcopi, salva semper substantia sacramenti, notissimum est. Inter Anglos Pontificale Sarisburiense, sicut et alia eiusdem Ecclesiae ritualia, ante saeculum sextum decimum maximo in usu vigebat. Nec tamen id obstabat quominus antistites aliarum Ecclesiarum pro arbitrio suo Pontificalia propria componerent atque in usu retinerent; quae non modo in caerimoniis minutioribus sed etiam in rebus gravioris momenti inter se discrepabant. Exempli gratia cum alii fere omnes formulam *Accipe Spiritum Sanctum* a solo consecratore principali pronuntiari iusserint, Liber Exoniensis, auctoritate Edmundi Lacy, qui annis 1421–56 ibidem episcopus florebat, eadem verba sicut nunc in Pontificali Romano ab omnibus episcopis astantibus simul proferri voluit[1]. Imo libri Sarisburienses non nisi libero consensu antistitum ad culmen

[1] Liber Pontif. p. 96. Maskell, *Monumenta Ritualia*, vol. iii. p. 258.

usurpationis pervenerunt. Nihil enim ad synodos provinciales de hac re relatum invenimus; nihil unquam legibus sancitum. Unde patet ritus in ordinationibus ante medium saeculum sextum decimum in Ecclesia Anglicana adhibitos ex mera episcopali auctoritate viguisse.

106. Tandem anno 1550 ut in eundem modum ordinandi, eumque novum, omnes episcopi Anglicani cogerentur, res ad Parliamentum relata est. Duodecim viris, quorum sex praelati, alii homines in iure divino versati forent, commissum est ut veteres ordinandi ritus castigarent vel novos praepararent[1]. Inter quos Cranmer longe praestantissimus fuit; accessit Hethe episcopus Vigorniensis, nec certo notum est quinam alii curam operi impenderint[2]. Id citius absolutum, a novatoribus libentius receptum est. Verum et alii episcopi qui rebus novandis admodum reluctabantur novum ritum in praxi adhibere minime recusarunt. Sed inter hos distinguendum est. Gardiner Wintonensis et Bonner Londiniensis iam in carcere detinebantur, nec dum Edwardus regnabat in Ecclesias suas redierunt. Nec ita multo post Day Cicestrensis et Tunstall Dunelmensis regia potestate ob alias causas amoti sunt, quos nescimus an novo ritu unquam usi fuerint. Hethe, qui e duodecim viris erat, strenue recusavit ne ritui novo tanquam auctor subscriberet, cui tamen, si quando in usu constitueretur, se morem gessurum ultro declaravit[3]. In carcerem deiectus ibidem usque dum Maria regnum exciperet tenebatur. Restabant Thirlby Norvicensis, Goodrich Eliensis, Aldrich Carliolensis, King Oxoniensis, Salcot Sarisburiensis, Kitchen Landavensis, Wharton Asaphensis, qui veteri disciplinae favebant, et postea Maria regnante cum Ecclesia Romana reconciliati sedes suas inconcussa fide retinebant. Ex his

[1] Dixon, *History*, vol. iii. p. 195. Gasquet, *Edward VI. and the Book of Common Prayer*, p. 261.

[2] Vide Burnet, ed. Pocock, iii. p. 339. Dixon, *Hist.* iii. p. 195, probabiliter putat eos qui *Librum Precum Publicarum* anno praecedente composuerant ordinationum quoque librum nunc exarasse; quorum erant Thirlby et Goodrich.

[3] Gasquet, *op. cit.* p. 262. In *MSS. Harleian.* No. 352, fol. 184, exstat narratio de processu contra Hethium coram Concilio. "He remayned in the same mind, not willing to subscribe it, althoughe he would not disobaye...agreeing also that he would obaye it but not subscrybe it."

Thirlby et Aldrich mutationi in Parliamento restiterunt, Goodrich et Wharton faverunt; alii neutras partes agebant[1]. Omnes vero novum ritum acceperunt et in sacris ordinationibus adhibuerunt. Denique anno 1552 ritus denuo castigatus, caerimoniis tantum quibusdam antiquatis, ad eam faciem adductus est quae annos plus quam centum continuabatur. Regnante Maria reiectus est. Elizabetha regnum excipiente episcopi quidam nulla praetensa auctoritate Parliamenti[2] eum in usum mox receperunt, atque in consecratione Parkeri adhibuerunt. Postea vero auctoritate Parliamenti coactiva[3] anno 1566 omnes episcopi ad eum in omnibus ordinationibus adhibendum obligati sunt.

107. Ex dictis apparet hunc novum ordinandi et consecrandi ritum ex mera episcopali auctoritate, qua semper in Ecclesia Anglicana antistites usi erant, originem traxisse[4]. Eadem auctoritate in usu constitutus est; et potestate civili episcopi quamvis inviti eodem cogebantur. His de origine eius praemissis sequitur ut formam et materiam in ritu exhibitas quam accuratissime examinemus.

108. Ei quibus curae erat novos ritus praeparare simplicitatem caerimonialem maxime affectabant. Exemplari potissimum usi sunt statutis Ecclesiae antiquis[5] quae nomine

[1] Gasquet, *op. cit.*, p. 261, *in nota*.

[2] Vide ea quae in primo capitulo de hac re disseruimus.

[3] Statutum est 8 Eliz. cap. i.

[4] Hinc refellitur mira quaedam obiectio quam insinuat Boudinhon in fasciculo *Le Canoniste Contemporain*, mensis Junii 1894, p. 334, formulam a privato quodam, nedum haeretico (*par un simple particulier, ou à fortiori par un hérétique*) compositam, et cum orationibus consecratoriis in Ecclesia Latina usitatis commutatam, eo ipso quod a textu praescripto (*du texte exigé*) recedat, inadaequatam esse. Hac sola ratione ordinationes Anglicanas invalidas esse putat. Quis tamen *privatus* ritum Anglicanum composuit? Metropolita et antistites comprovinciales. Quis *haereticus*? Cranmer unus ex auctoribus eius haereseos damnatus est; nec tamen ille in rebus ad sacramentum ordinis attingentibus, sed in sola quaestione transubstantiationis. A quibus textus anterior *praescriptus* erat? Ab episcopis istis quorum successores et novum textum ediderunt. Quod antecessores instituerant eodem iure successores variarunt. Vide autem ea quae in Appendice vi. de ritibus Abyssinorum disseruimus.

[5] Ita testatur Heylin, *History of the Reformation*, p. 83. Hefele, *Conciliengeschichte*, ii. p. 63, ostendit hos canones, qui concilii Carthaginiensis falso

concilii Carthaginiensis iv. praxim ecclesiae primitivae brevi referunt. In his de ordinatione episcopi et presbyteri talia dicuntur:—

Can. 2. Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant evangeliorum codicem super caput et cervicem eius, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui adsunt manibus suis caput eius tangant.

Can. 3. Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui praesentes sunt manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant.

109. Necnon Graecarum litterarum amantissimi aliquam rituum orientalium notitiam vix dubie habuerunt, iuxta quos ordinati in concilio Florentino tanquam veri presbyteri et episcopi recepti fuerant. Id eis notum; unde pro certo habuerunt sibi licere mores antiquitatis simpliciores, quos diligentius fortasse quam sanius affectabant, restituere, atque ea praescindere, salva tantum materia et forma essentiali, quae ritibus veteribus recentiora accrevissent. Certe in medio aevo, quod vocant, scholastici post Sctum Thomam praesertim materiam sacrorum ordinum in porrectione instrumentorum, recentiores vero in hac porrectione atque in manuum impositione coniunctim posuerant[1]. Saeculo autem xvi., quamvis sanior illa critica, quam laudat Perrone[2], rimas antiquitatis nondum perscrutata esset, Graeci tamen ritus nostratibus iam innotescebant, quibus labefactaretur sententia Latinorum communior. Porro huius aevi doctores non pauci, eis quae in S. Scripturis traduntur magis innixi, opiniones mere scholasticas impatienter ferebant. Neque enim in concilio Tridentino, id suadente Card. Lotharingio, quicquam de porrectione instrumentorum decretum est, sed impositionis manuum, utpote quae in S. Scripturis toties referatur, solius mentio

nuncupantur, admodum antiquos esse atque a privato quodam ex Africanis aliisque synodis ante saeculum sextum finitum collectos. In collectionibus veteri Hispana et Pseudo-Isidoriana atque in Hardouini opere referuntur. Vide Hardouin, tom. i. pp. 975 seqq.; Mansi, tom. iii. pp. 945 seqq.

[1] Cf. *Pupillam Oculi*, fo. lxxii. B. edit. Paris. 1510.

[2] *Tract. de Ordine*, cap. iv. n. 123.

facta est[1]. Hanc solam Catholici Anglicani, ut in capite superiori fusius explanavimus, in sacramento Ordinis tractando memorabant. Hanc solam ad ordinationes valide conficiendas sufficere credebant. Ergo praecisis quibusdam medii aevi caerimoniis[2] istam essentialem et sufficientem materiam sedulo retinuerunt.

110. De forma autem cum nihil universaliter conventum esset neque ulla verba tanquam sola essentialia ad validos ordines conferendos requiri viderentur, maiore libertate in hac re fruebantur rituum castigatores. Id solum necessarium erat, ut verba quae potestatem ordinis conferendi satis indicarent exhiberentur. Illi vero nec tanta libertate utebantur, neque aliquid novi pro forma consecratoria invenerunt. Eam enim retinebant quam in usu iamdudum habuerant. Verba *Accipe Spiritum Sanctum*, quae in veterioribus ritualibus certe nusquam reperiuntur, inde a saeculo xiii. in Pontificalia sensim irrepserant, et pro forma essentiali consecrationis episcopalis communiter habebantur. His verbis antea usitatis, et per usum Ecclesiae ad consecrandum episcopum ita determinatis, alia quaedam ex epistola S. Pauli ad Timotheum secunda desumpta tantum addiderunt. Ideoque formam cum additamentis talem perhibuerunt:—

"Take the Holy Ghost, and remember that thou sturre up the grace of God which is in the, by imposition of hands: for God hath not given us the spirit of feare but of power and love, and of sobernesse."

Accipe Spiritum Sanctum, et memento ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

111. Quid autem velint haec additamenta permagni refert

[1] Le Plat. *Mon. Conc. Trid.* p. 583. Non quidem ignoramus quod Bellarminus, Hallier, aliique theologi eximii, in scholis Gallicanis praesertim florentes, opinionem scholasticam, cum aliqua pro Graecorum casu oeconomia, temporibus recentioribus tueri voluerunt, de qua re inferius n. 260 seqq. loquemur.

[2] His potissimum: unctione, annuli mitrae et baculi traditione, in episcopo consecrando; unctione, porrectione instrumentorum, et stolae casulaeque indumento, in presbyteratu conferendo; stolae dalmaticaeque indumento, in diacono ordinando; quae omnia aut omnibus ecclesiis antiquioribus, aut Graecis etiam hodiernis, ignota esse omnes rerum liturgicarum indagatores satis ostendunt.

exponere. In Pontificali Romano, iuxta communem sententiam, ut superius e Gasparrio relatum est, forma in solis verbis *Accipe Spiritum Sanctum* continetur. Ideoque in ritu Anglicano de quo agitur, si haec verba tantummodo praescripta fuissent, forma iam adaequata sufficeret. At idem Gasparri obicit haec verba, in se inspecta, esse indeterminata, neque ordinis episcopalis collationem satis exprimere, quae tamen vel praefatione vel ipsamet caerimonia satis determinantur. In eandem fere obiectionem incidisse videntur auctores ritus Anglicani; quocirca verba quibus forma satius in ipsa prolatione determinaretur prudentes addiderunt. Namque ex omnium doctorum saltem Catholicorum consensu constat episcopos hodiernos in eodem gradu sacri ministerii constitutos esse ad quem Titus et Timotheus promoti summum Ecclesiae regimen tanquam Apostolorum successores exercuisse in sacris Scripturis dicuntur. Itaque verba quibus Apostolus Timothei promotionem descripserat nil nisi gradum episcopalem indicare potuerunt. Quod si quis ultro dubitaverit utrum verba hoc sensu recipienda auctores de industria posuerint, dubium ex interpretatione quam ipsi vulgatam ediderant facile diluemus. Praesules enim Anglicani eo tempore *Paraphrasim* Erasmi in summo honore habebant, quam Anglice redditam in omni Ecclesia parochiali ita ut ab omnibus perlegeretur ponendam anno 1547 instituerant[1]. Haec igitur sacrarum Scripturarum interpretatio summa auctoritate Ecclesiae Anglicanae, quo tempore novi ritus comparabantur, sancita est. Erasmus autem verba sacri textus quae formae consecratoriae accesserunt ita interpretatur:—"Donum Dei quod per impositionem manuum mearum *episcopus ordinatus* accepisti suscites tua industria vigilantiaque, fortique et infracto animo peragas tibi delegatum munus." Hac recepta interpretatione manifestum est auctores novi ritus haec verba sensu praedicto intellexisse, et per ea gradum episcopalem collatum indicare voluisse.

112. Ex dictis apparet formam consecratoriam in ritu Anglicano adhibitam verbis in ipsa prolatione additis liquido

[1] Dixon, *History*, vol. ii. p. 425.

determinatam esse. Nempe in eum sensum stricte coarctatur ut nihil aliud exprimere possit quam collationem illius ordinis episcopalis quem Timotheus manibus Scti Pauli receperat, quique exinde in Ecclesia Catholica semper continuatus fuit[1]. Quippe vel in se determinata est. Censuram igitur prorsus evitat cui formam in Pontificali Romano obnoxiam esse quidam animadverterunt tanquam in se indeterminatam et

[1] Hinc facile refellitur obiectio Schouppii (*Elem. Theol. Dogm.* Tract. xvi., *de Ordine*, cap. ii. art. ii. n. 90) qui putat formam Edwardinam "cum episcopale officium nullatenus exprimat, certo dubiam, imo longe probabilius invalidam." Verba quidem ita Latine tradit; "Accipe Spiritum Sanctum, et memor esto ut suscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum, non enim dedit nobis Deus spiritum timoris sed virtutis et dilectionis et sobrietatis." Raynali dissertatiunculam *The Ordinal of King Edward VI.* ad hanc obiectionem fulciendam refert, qui p. 108 "haec verba finem specialem manuum super electum imponendarum minime exprimere" queritur, quapropter formam omnino nullam atque irritam esse concludit, p. 113. At vero perpensis verbis ex Erasmo citatis manifestum erit in ipsa formae prolatione hanc *finem specialem* plane exprimi, atque ad conferendum ordinem episcopalem determinari. Eandem obiectionem protulerunt Talbot, *Treatise of the Nature of the Catholic Faith and Heresies*, p. 22 (Rouen, 1657); Breen, *Anglican Orders*, pp. 25 seq. (edit. 1877); Lingard, *History of England*, vol. vi. p. 330 (6th edit.); Estcourt, *The Question of Anglican Orders*, p. 229. Necnon et hic animadvertendum est id quod aliqui obiecerunt, verba "*in officium et opus Episcopi in Ecclesia Dei, &c.*" (vid. in Appendice v. n. 345) ea ratione formae anno 1661 addita fuisse, quod ipsis praesulibus Anglicanis persuasum foret formam adhuc exsistentem indeterminatam inadaequatam atque irritam esse. Talia insinuat Raynal, *op. cit.* p. 128. Cui responsum in promptu habemus. Ista enim verba non nisi cavillationum Puritanorum evertendarum causa accesserunt, qui teste Nealo, *History of the Puritans*, p. 63, distinctionem inter episcopum et presbyterum evellere ex eo conati sunt, quod verbis cum impositione manuum prolatis gradus minime distinguerentur. (Cf. Prideaux, *The Validity of the Orders of the Church of England*, p. 9.) Quibus fallaciis quamvis ex ipso ritu, ut in textu ostendimus, satis responderi potuisset, tamen ecclesiasticae disciplinae defensores, ne errori Calviniano locum vel surrepticio relinquerent, distinctionem ordinum verbis amplioribus et pravum sensum plane respuentibus in posterum exprimendam curaverunt. Nec nobis ingratum est animadvertere quosdam ex adversariis nostris de valore huius additamenti inter se toto caelo distare. Namque Raynal, *op. cit.* pp. 102, 129, formas Anglicanas adhuc inadaequatas his verbis additis ad ordines conferendos valere quidem, sed successione Apostolica iam dudum effracta nihil ex eo nobis provenisse affirmat; contra Estcourt, *op. cit.* p. 230, hoc ipso additamento debitum sensum et rectam intentionem prorsus excludi docet. Quos commilitones impetum diversis ex partibus facientes invicem collidi nos quidem evasuri libenter sinemus.

non nisi orationibus caerimoniisve comitantibus determinatam.

113. Nec vero et huiusmodi subsidiis forma nostra caret. Et primo quidem citamus ea quae in praefatione Libri Ritualis dicuntur[1], ordines hierarchicos qui in Ecclesia Christi ex apostolorum temporibus exstiterint in Ecclesia Anglicana conservandos et his ritibus conferendos esse. Per novas igitur caerimonias eundem ordinem ac per antiquas conferri intenderunt rituum castigatores.

114. Deinde ex ipso titulo constat ritum esse *Formam consecrationis archiepiscopi aut episcopi*, unde liquido apparet quidnam velit forma essentialis quae adhibetur. Nemo enim quod sciamus in alio sensu quam catholico se *consecrationem episcopi* conficere unquam professus est.

115. Denique e dictis et caerimoniis in ipso ritu adhibitis satis declaratur quid in hac parte faciendum sit.

(1) In rubricis ante consecrationem peractam consecrandus bis appellatur *episcopus electus*. Nempe ad certam Ecclesiam apostolica potestate regendam, quae per mortem aut cessionem ultimi ibidem episcopi iure vacat, solito more electus est; restat autem ut eius promotio consecratione episcopali perficiatur[2].

(2) Praecipitur ut episcopus electus archiepiscopo illius provinciae, aut alii episcopo cui id delegatum fuerit, a duobus episcopis praesentetur, qui dicant:—"Reverendissime in Deo pater, praesentamus tibi hunc pium doctumque virum ut *in episcopum consecretur*."

(3) Mandatum de *consecratione* perlegitur.

(4) In iuramento obedientiae archiepiscopo debitae consecrandus promittit se Ecclesiae et Sedis N. *episcopum electum* debitam reverentiam archiepiscopo et Ecclesiae metropoliticae N. et successoribus eorum per omnia exhibiturum. Hoc vero iuramentum in consecratione archiepiscopi non praestatur.

[1] Librum Ritualem in Appendice v. totum rettulimus.

[2] *Processum electionis* Parkeranae in Appendice iii. rettulimus, qui solitis verbis redactus satis determinat sensum quo *electus episcopus* in ritu intelligi debeat.

(5) Sequitur archiepiscopi allocutio qua populum ad orandum hortatur, exemplum referens Christi salvatoris qui pernoctabat in oratione priusquam apostolos emitteret, discipulorumque qui Antiochiae ieiunabant et orabant priusquam Paulo et Barnabae manus imponerent. Quibus verbis plane indicatur missionem et potestatem apostolicam electo conferendam esse quae semper in episcopatu catholico continuatur.

(6) Deinde cantatur litania cum hoc suffragio proprio:—"Ut hunc fratrem nostrum electum benedicere digneris, et super eum gratiam tuam mittere, ut munus ad quod vocatur rite sustineat; ad aedificationem Ecclesiae tuae, et ad honorem laudem et gloriam nominis tui; *Te rogamus audi nos.*"

(7) Finita litania oratio dicitur in qua varii ministrorum ordines per Spiritum Sanctum in Ecclesia constituti asseruntur, et gradus episcopalis specialiter determinatur ad quem electus promovendus sit. Totus igitur ritus vi huius orationis determinatur ad conferendum ordinem episcopalem divinitus in Ecclesia institutum.

(8) Sequitur examen, cui praefatur archiepiscopus antiquos canones id exegisse; quo dicto ostendit se potestatem ordinis episcopalis, in quo solo conferendo huiusmodi examen antiquitus praestabatur, iam nunc collaturum esse. Absoluto examine pronuntiatur benedictio super electum ad impetrandas virtutes statui ad quem vocatus est maxime necessarias[1].

[1] Mira quadam confusione Liebermann (*op. cit.* lib. vi. p. v. c. ii. art. iii. qu. 2) hanc benedictionem pro forma essentiali habuit. In eundem errorem incidit Billuart, qui asserit, postquam episcopus designatus ad interrogata suis responsionibus affirmativis satisfecerit, episcopum consecratorem *impositis super illum manibus* formam ordinationis in verbis huius benedictionis pronuntiare. (Citat. apud Dalbus, *Les Ordinations Anglicanes*, p. 9.) Nimirum auctor doctissimus nimia levitate percurrit textum ritualem, neque animadvertit impositionem manuum ab hac benedictione longe distare, quibus intervenit et hymnus *Veni Creator*, et oratio ad instar praefationis. Nempe istam benedictionem examini complendo natam Dalbus recte comparat ad verba *Haec tibi fides augeatur a Domino, &c.* quae iuxta Pontificale Romanum absoluto examine proferuntur. Neque locum formae habere neque ad formam pertinere potest.

(9) Deinde cantatur hymnus *Veni Creator*, "sicut in ordinatione presbyterorum praescriptum est"; quibus verbis inter consecrationem episcopalem et ordinationem presbyteralem plane distinguitur[1].

(10) Tum demum post orationem ad instar praefationis, quae *Consecrationis* antiquae verba breviter refert, manibus archiepiscopi atque episcoporum astantium super caput *electi* impositis, archiepiscopus verba consecratoria, quae antea tractavimus, pronuntiat. Quibus peractis, et porrecto cum relativis verbis codice sacrorum Bibliorum, exinde in rubrica praeceptum est ut *episcopus iam consecratus* intra missae sollemnia communicet.

116. His omnibus perpensis totus ritus ad consecrationem episcopi ordinariam, quae in ecclesia Catholica semper fuit, respicere videtur, id quod plane determinat formam *Accipe Spiritum Sanctum* ad imprimendum characterem episcopalem. Nobis autem, ut diximus, verba *Accipe Spiritum Sanctum* cum additamentis quae in ritu Anglicano castigato accesserunt ipsa in hac parte adaequata et satis determinata fore videntur.

117. Hactenus in ritu Anglicano adhibitam esse *materiam* solam ad consecrandum episcopum adaequatam et necessariam, quae est impositio manuum, satis demonstravimus. *Formam* vero, vel verbis in ipsa prolatione additis vel totius ritus aspectu determinatam, pro valida habendam ostendimus. Non novam formam composuerunt auctores ritus. Id quidem si fecissent nihilominus ordinationes nostras defendere debuissemus. Hanc enim libertatem episcopis nostrarum provinciarum vindicandam putamus. Nec tamen illi in eam temeritatem ruerunt ut tantam rerum innovationem ultro aggrederentur; nec formam satis antiquam satis determinatam, et in magna parte ecclesiae communiter usitatam, duarum tantum provinciarum episcopi mutare audebant. Eandem, qua ante miseram discordiam episcopi Anglicani Gallicani Italici aliique communiter utebantur, nostri seorsim

[1] Hoc quidem ne puerile videatur argumentum, meminerit lector Raynalium aliosque asseruisse in ritu Anglicano nullam inveniri ordinum distinctionem.

continuabant. Quoad substantiam sacramenti nihil mutatum; quoad determinationem formae nihil variatum est. Quaedam accidentalia reiecta sunt; quaedam accidentalia accesserunt. Eadem est forma essentialis; eadem determinatio formae. Id unum accessit, ut determinatio clarius exprimatur.

Responsum igitur ad tertiam quaestionem absolvimus. Ea quae in ritu Anglicano adhibentur ad characterem episcopalem imprimendum sufficere ostendimus[1].

118. Nec tamen nobis negligendum esse putamus id quod aliqui disputaverunt de forma consecratoria modo *orationis* adhibenda. Morinus in opere suo celeberrimo, satis exploratis et Orientalibus et Latinis ritibus, testatur "nihil esse in ritibus ordinationum Orientalium omnium tam Graecarum quam Syrarum, non secus ac Latinarum antiquarum, praeter orationes, quod formae rationem induere posset[2]." Quapropter et in Pontificali Romano quidam formam consecratoriam ex orationibus quaesierunt. Ideoque Martene aliique "prolixam illam orationem, quae ad modum praefationis a Metropolitano pronuntiatur[3]" adduxerunt in qua formam ordinationis constituant. Nec dubitari potest quin ista oratio, quae in libro vetustissimo, *Missali Francorum* nuncupato, *Consecratio* appellatur, ad munus consecrationis impendendum olim fuerit designata. E pluribus fontibus derivata, nec non gradatim compacta, tandem in eum tenorem reducta est qui nunc legitur in Pontificali[4]. Verba huius orationis admodum indeterminata sunt, neque in se quicquam continent quod characteris episcopalis collationem indicat. Tantum per usum cum impositione manuum ad id significan-

[1] Eis quae in textu reposuimus addere licet quod Dens in *Theol. Mor. et Dogm. Tract. de Ordine*, n. 5, expresse dicit: "Satis convenit inter auctores impositionem manuum sub hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum*: esse materiam, cui quidam addunt impositionem codicis evangeliorum super caput ordinandi. Caeteri ritus videntur tantum esse accidentales." Item Vasquez, p. iii. disp. 240, n. 58, docet impositionem manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum* ad imprimendum episcopalem characterem iuro divino sufficere. Cf. Coninck, disp. xx. *de Sacr. Ord.* dub. 7, n. 58.

[2] Morinus, *de Sacr. Ord.* pars ii. exerc. ii. c. iv. § xi.

[3] Martene, *de Antiquis Eccl. Rit.* lib. i. c. viii. art. x. ii. 14.

[4] Id patet ex recensionibus quas in allegato v. operis citati Gasparri rettulit.

dum determinabantur. Postea vero quam impositio manuum ab hac oratione loco separata atque ad formam imperativam relata fuerit, quid in hac re mutatio effecit? Num credendum est Ecclesiam orationi vim consecrativam prorsus ademisse? Gasparri (*op. cit.* n. 1109) negatur, et putat in hypothesi impositionis manuum cum hac sola oratione consecrationem valere, sicut in antiquo ritu valebat. Hypothesim tantum ponit, nec nobis satis exploratum est utrum in casu hypothetico auctor doctissimus impositionem manuum in ipsa prolatione verborum adhiberi velit. Credimus eum ita voluisse. Unde apparet neque illum huic orationi, cum absque impositione manuum actu pronuntietur, vim consecrativam attribuere[1]. Forma, quam olim Ecclesia essentialem adhibebat, ita vigorem latentem creditur retinuisse, ut a vero episcopo, quamvis proprio dumtaxat motu, cum materia necessaria prolata ad ordines conferendos valere videatur. Nec tamen eandem formam ab essentiali materia iuxta usum Ecclesiae dissociatam aliquid in hac parte pollere facile putamus.

119. Quicquid de his rebus sentiendum sit, videtur haec oratio locum in hodierno Pontificali incertum ac precarium habere. Idem de Pontificalibus in Anglia olim usitatis dicendum est. Vim consecrativam aegre retinuit oratio. Intentio consecrandi tota ad formam recentiorem actu conversa est, quam verbis imperativis ad conficiendum sacramentum praxis Ecclesiae determinaverat. Haec essentialis erat; illa vero non nisi ritus accidentalis partes implebat. Nec tamen eam, qua erat antiquitate venerabili, reformatores ritus Anglicani prorsus reicere voluerunt, sed brevi recensione in linguam vernaculam transtulerunt. Quam ut cum originali lector comparet, verba quaedam e Pontificali Sarisburiensi citabimus, quibus orationis vernaculae partem relativam in versione Latina, quae verbum pro verbo reddat, apponemus[2]:

[1] Coniunctionem tamen *moralem* huius orationis cum impositione manuum auctor fortasse defendet. Cf. n. 1079.

[2] Eandem comparationem instituit Dalbus, *op. cit.* p. 14.

Sint speciosi munere tuo pedes eius ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis, in verbis et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo eius et praedicatio non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Domine, claves regni caelorum, ut utatur, non glorietur, potestate quam tribuis in aedificationem non in destructionem.... Sit fidelis servus et prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam, et det illis cibum in tempore opportuno.

Da, quaesumus, eam gratiam huic famulo tuo, qua semper paratus sit ad evangelizandum bona tua, ad praedicandam reconciliationem; et potestate quam tribuis non in destructionem, sed in salutem, non ad iniuriam, sed ad auxilium utatur: quatenus, ut fidelis servus et prudens, familiae tuae dans cibum in tempore opportuno, in gaudium sempiternum tandem suscipiatur.

120. Porro mirandum videtur quod novatores qui tantum antiquitati Christianae favebant, morumque veterum redintegrationem sedulo prae se ferebant, huic orationi antiquissimae pristinam dignitatem reddere noluerint, formamque imperativam, quam recentioris institutionis esse ignorare nequibant, tamquam solam essentialem atque in usu vigentem retinuerint. Id quidem argumento fortiori est quatenus illi ritus Ecclesiae essentiales, quos in usu actuali habebant, solos retinere voluerint. Attamen si quis in eo haeserit quod orationem consecratoriam, seu ratione formae, seu consuetudine Ecclesiae vi praecepti eam requirente, necessariam esse existimet, hanc etiam in ritu Anglicano exstare ostendimus[1].

[1] Perrone (*Tract. de Ordine*, c. iv. § 137, in nota) animadvertit "Nullam in eiusmodi formula consecrandi, offerendi et ordinandi mentionem occurrere, secus ac universa traditio semper et tenuit et docuit, praeterquam quod per illam *doctrinae veritatem, et evangelii promulgationem* significent Anglicani doctrinam Calvinisticam ac reformatam." Respondemus 1° theologum doctissimum in historia nostra parum versatum fuisse, cum dicat Anglicanos *abolito Rituali Romano* novum condidisse. Rituale autem Romanum stricte loquendo in Anglia nunquam in usu fuit. 2°. Auctor criticus textum Anglicani ritus vix satis exploratum habuit; namque verba ex orationibus diversis citata neglectis contextibus tanquam formam consecratoriam exhibet. 3°. In *nulla* consecrandi formula, saltem occidentali, *offerendi mentio* occurrit, neque in oratione ad modum praefationis, quae non nisi *summi sacerdotii ministerium* verbis generalioribus refert, nec certo in formula imperativa *Accipe Spiritum Sanctum*. Quod autem

121. Argumentum de ritu quo Parker consecratus est recto itinere absolvimus, neque obiectiones nisi obiter animadvertimus. Quem disputandi modum ea ratione adhibuimus ut cuivis lectori liceat pro sua voluntate, exploratis eis quae ritus valorem respiciant, obiectiones undecunque illatas expendere. Id faxint animo benevolo nec tamen de veritate securo omnes quibus inest vel levissima de ordinationibus Anglicanis dubitatio. Nec dubitare possumus quin expleta indagatione in eandem sententiam ituri sint quam tulit ipso tempore investigator quidam argutissimus. Daniele Barbaro, Venetianus nobilis et Patriarchae Aquileiensis coadiutor, qui reipublicae Venetianae orator in Anglia anno 1550 morabatur, litteras de rebus ecclesiasticis ad senatum scripsit, quibus omnia quae ibidem gerebantur satis acerbe pertractavit. Ordinationes autem,. quae iuxta novum ritum conficiebantur, a Romanis nihil distare testatus est, nisi quod ordinati in Anglia doctrinam atque auctoritatem papalem iurando renunciarent[1]. Ordinationes igitur Anglicanas invalidas esse is quidem minime censuit. De ritus valore ne suspicio quidem eo tempore videtur ingruisse.

122. Tandem eo pervenimus ut ritum qui in consecratione Parkeri adhibitus est, quoad partes essentiales sacramenti Ordinis, materiam scilicet et formam, adaequatum esse nos ostendisse credamus. Ergo Parkerum et revera consecratum et ab idoneis ministris, et ritu adaequato characterem episcopalem recepisse pro demonstrato habemus.

Pontificali Romano deest, cur tandem in ritu Anglicano professor Collegii Romani requirat? 4°. *Mentio ordinandi* de essentia sacramenti esse nequit, cum praesertim in forma essentiali nusquam reperitur, neque omnes cuiusque gradus potestates in sacris ordinationibus vel accidentaliter iuxta usum Ecclesiae indicantur. 5°. Verba quibus Perrone sensum haereticum attribuere vult Ecclesia Anglicana ex veteribus Pontificalibus desumpta retinuit, neque alio sensu quam quo olim usurpabantur interpretanda exhibuit. Quid per haec verba exprimi voluerit pessimus quisque inter Anglicanos versatus nescimus, neque id argumento nostro competit. Sensum Calvinisticum Ecclesia neque ipsa protulit neque ab ordinandis exegit, imo detestata est.

[1] *Archivio Veneto*, v. pp. 347–353. Citat. apud Dalbus, p. 14, et fusius apud Gasquet, *op. cit.* p. 274. Notandum vero est in iuramento quod refertur nullam de *doctrina* mentionem fieri. Tantum *auctoritatem*, *potestatem*, *iurisdictionem* Antistitis Romani renunciabant ordinandi.

CAP. IV.

De Intentione Ministri.

123. Parkerum de facto consecratum fuisse demonstravimus. Dubia de ministris, de materia et forma sacramenti diluimus. Restat ut obiectiones ad intentionem ministri spectantes expendamus. Asserunt enim obiectores, etiamsi ritus Edwardinus partes sacramenti essentiales adaequate adhibuerit, attamen prae defectu intentionis, quem Barlovo tribuant, nullam penitus atque irritam fuisse consecrationem ab illo confectam.

124. Quam quidem conclusionem ex praemisso defectu minime consequi primo animadvertimus. Namque ut superius ostendimus alii quoque episcopi consecrationi Parkeranae comministri interfuerunt, quos omnes rectae intentionis expertes fuisse demonstrandum erit si quis ea ratione Parkeri characterem episcopalem nullitatis insimulare voluerit. Ab hoc autem responso libenter recedemus ne de summa rerum certamen declinare videamur. Totam enim obiectionem radicitus evellere malemus.

125. Hoc nobis proposito necesse erit ut duas quaestiones aggrediamur. Quaerendum est 1° quamnam intentionem ritus ordinationum Anglicanus in ministro supponat, et 2° quaenam ipsius ministri intentio iuxta communem sensum Catholicorum ad sacramentum valide conficiendum requiratur.

I. *De Intentione in Ritu supposita.*

126. Ad primam quaestionem absolvendam adducemus imprimis ipsius Cranmeri de sacris ordinationibus vulgatas

opiniones. Cranmer enim, ut supra notavimus, in novo libro rituum exarando primas partes obtinebat. Quid vero de sacramento Ordinis ille senserit iam superius (*cap. ii.*) ostendimus; namque libris *de Institutione Christiani*, et *de necessaria Christiani Doctrina atque Eruditione*, qui doctrinam Catholicam plane exposuerunt, eum subscripsisse memoravimus. Nec quidem ab hac doctrina, tam certo totius Ecclesiae Anglicanae testimonio defensa, Cranmerum postea decessisse credendum est, cum praesertim eadem fere in catechismo docuerit quem anno 1548 typis mandavit. Nimirum ipso tempore quo ritibus castigandis operam dabat talia de sacris ordinationibus et de successione Apostolica disseruit:—

127. "Dominus noster Jesus Christus ministros et praedicatores qui nos in sacro verbo suo instituerent et sacramenta dispensarent tum Ipse ordinavit tum eis mandavit quid nomine suo docerent, et quomodo nobiscum agerent. Itaque duodecim Apostolos vocavit atque elegit; qui post Christi Ascensionem aliis quoque piis et sanctis hominibus potestatem donarunt ut Verbi ministerio fungerentur, eis praesertim locis ubi iam Christiani praedicatoribus indigebant, neque ipsi Apostoli diutius morari poterant. Quamobrem si quos pios atque ad verbum Dei praedicandum idoneos invenissent, manus eis imponebant et Spiritum Sanctum impertiebant, sicut et ipsi eundem Sanctum Spiritum, quo hoc ministerium exsequerentur, a Christo acceperant. Omnes igitur ita ordinati, quod scripsit S. Paulus ad Timotheum, perinde atque ipsi Apostoli, Ministri Dei vere erant et nominabantur. Ideoque inde ab Apostolis usque ad nostrum tempus, Verbi ministerium, quod Dominus noster Jesus Christus ipse instituit, ab Apostolis per impositionem manuum donumque Sancti Spiritus in successores transmissum est; quae quidem est consecratio et ordinatio et unctio Apostolorum, qua primo Episcopos Presbyterosque creabant; quae usque ad finem saeculi in Ecclesia manebit. Quapropter, parvuli, ministros Ecclesiae veneramini, atque in debito honore habete, quos ne parvi aestimetis tanquam Dei ministros et nuntios Domini nostri Jesu Christi in exsecutione officii agnoscere vobis expedit. Ipse enim Christus in Evangelio dixit, *Qui vos audit,*

me audit; et qui vos spernit, me spernit. Quicquid igitur illi vobiscum egerint, ut puta si vos baptizaverint, si vos absolverint, si vobis Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi distribuerint, haec omnia eadem ratione accipienda sunt ac si ipse Christus in propria sua persona ministrando loquatur; nam Christus ministris suis mandavit ut haec vobiscum agerent, Quem licet oculorum visui subdere nequeatis, Ipse ministris adest et per Spiritum Sanctum in ministerio sacramentorum operatur[1]."

128. Haec in catechismo ad parvulos Cranmer docuit; ubi multa quidem praetermissa quae vel puerilibus mentibus ediscenda proferre convenisset, multa quae ad perfectam sacerdotii notitiam pertinent sileri fatemur. Ea vero quae positive affirmat magni esse momenti credimus. Namque ordinationem et missionem episcoporum presbyterorumque

[1] "Our Lord Jesus Christ Himself hath both ordained and appointed ministers and preachers to teach us His holy Word and to minister His sacraments, and also hath appointed them what they shall teach in His Name and what they shall do unto us....He did call and chose His twelve Apostles....And after Christ's Ascension the Apostles gave authority to other godly and holy men to minister God's Word, and chiefly in those places where there were Christian men already which lacked preachers, and the Apostles could not longer abide with them....Wherefore where they found godly men, and meet to preach God's Word, they laid their hands upon them and gave them the Holy Ghost, as they themselves received of Christ the same Holy Ghost, to execute this office. And they that were so ordained were indeed and also were called the Ministers of God, as the Apostles themselves were, as Paul saith unto Timothy. And so the ministration of God's Word, which our Lord Jesus Christ himself did first institute, was derived from the Apostles unto others after them, by imposition of hands and giving the Holy Ghost, from the Apostles' time to our days. And this was the consecration orders and unction of the Apostles, whereby they at the beginning made Bishops and Priests, and this shall continue in the Church, even to the world's end....Wherefore, good children, you shall give good reverence and honour to the Ministers of the Church, and shall not meanly or lightly esteem them in the execution of their office, but you shall take them for God's Ministers and the messengers of our Lord Jesus Christ. For Christ Himself saith in the Gospel, *He that heareth you heareth Me, and he that despiseth you despiseth Me*....And whatsoever they do to you, as when they baptize you, when they give you absolution, and distribute to you the Body and Blood of our Lord Jesus Christ, these ye shall so esteem as if Christ Himself in His own Person did speak and minister unto you. For Christ hath commanded His Ministers to do this unto you, and He Himself, although you see Him not with your bodily eyes, is present with His Ministers, and worketh by the Holy Ghost in the administration of His Sacraments." Edit. Oxford, 1829, pp. 194—197.

a Jesu Christo plane derivat, ordinatis ab ipso Domino Apostolis, qui deinceps per impositionem manuum alios quoque dono Sancti Spiritus in episcopos presbyterosve promoverint, et sacrum Ecclesiae ministerium ad finem usque saeculi in eisdem ordinibus constituendum perpetua missione tradiderint. Ergo quam ipse in sua ordinatione recepisset eandem et successoribus gratiam et potestatem ministerialem se traditurum professus est. Quod autem Cranmer haec tam aperte docuerit eo gravioris ponderis est quo maiorem partem libelli ex illo catechismo mutuaverat, quem Justus Jonas doctor Lutheranus nuperius ediderat; qui cum ne in mentionem quidem Episcoporum Successionisve Apostolicae incidisset, Cranmer his omnibus ex mente sua additis Lutheranas de Ministerio opiniones sane repudiavit, fidemque antiquam de sacris Ordinibus fidelibus credendam proposuit. Talia docuit novorum ritualium auctor primarius. Talia vel ipso tempore quo libros rituales castigabat vulganda curavit. Quae cum ita fuerint, valde improbabile est istos libros castigatos non supposuisse intentionem ea faciendi quae sacros Ordines eo usque in Ecclesia constitutos in finem saeculi continuarent.

129. Nec quidem solius auctoris vel primarii testimonio intentionem ritus reformati explicabimus. Ipsum librum testamur. Haec in praefato legimus: "Manifestum est omnibus, sacram Scripturam et veteres auctores diligenter perlegentibus, exstitisse in Ecclesia Christi *ex Apostolorum temporibus* hosce Ministrorum Ordines, Episcopos, Presbyteros, et Diaconos......Igitur, quo *isti Ordines* in Ecclesia Anglicana *conservari* possint, et reverentia debita usurpari et aestimari, sancitum est ut nemo (*nondum episcopus presbyter diaconusve exsistens*) ullum eorum exsequatur, nisi qui secundum ritum sequentem vocatus, probatus, examinatus, et admissus fuerit[1]."

130. Hisce verbis expresse declaratur:—

1°. Semper fuisse in Ecclesia inde ab Apostolis hos Ordines, Episcopos Presbyteros Diaconos;

[1] Totum in App. v. relatum est.

2°. Hos Ordines *etiamtunc* in Ecclesia Anglicana exstitisse;

3°. Per ritum reformatum nullo modo propositum fuisse ut novum ministerium institueretur, neque ut ministerium quoddam *evangelicum*, seu munus Ecclesiae primitivae proprium, atque a primordiis Christianis eo usque sublatum, redintegraretur; sed potius id tantum propositum ut sacri Ordines in Ecclesia Catholica actu exstantes debito more continuarentur;

4°. Eos qui secundum Pontificalia nondum reformata promoti essent in suis Ordinibus recipiendos fuisse, quibuscum et alii, iuxta ritum reformatum ordinandi, in eisdem gradibus valide constituti aequa potestate ministerio functuri essent[1].

131. Quae cum in praefato ritus tam aperte exprimantur, nemo dubitare debet quin supponatur in ministro intentio generalis ita agendi, ut sacros Ordines ad mentem Ecclesiae Catholicae valide conferat, episcopos presbyteros diaconos eo sensu, quo Ecclesia id facere solet, vere ac rite promoveat. Nec quidem ritus diversos, qui in libro rituali continentur, (*a*) ad ordinandos diaconos, (*b*) ad ordinandos presbyteros, (*c*) ad consecrandum episcopum, plane determinatos quisquam in pravam intentionem facile converterit. Ad intentionem Ecclesiae perficiendam minister et verbis et actibus alligatur.

132. Primae igitur quaestioni ita respondemus. Ecclesia Anglicana supponit in ministro iuxta ritum reformatum intentionem generalem eosdem ordines conferendi qui ritu nondum reformato conferebantur, quique in una Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia semper et ubique fuerunt et hodie exstant[2].

[1] Minime concedimus id quod Dalbus, *Les Ordinations Anglicanes*, p. 30, obicit, verba huius praefati ita indeterminata fuisse ut eorum opinionibus faverent qui sensu haeretico primordia Ecclesiae reducenda prae se ferrent.

[2] Multum interest huc referre argumenta Johannis Penry, scriptoris puritani, qui temporibus Elizabethae clerum Anglicanum ea ratione infestissime insectatus est quod huiusmodi continuitate cum veteri clero secundum intentionem Ecclesiae coniunctus esset. In opere *Korah Dathan and Abiram* intitulato, asseruit hanc intentionem *ipsos nervos et medullam* esse praefationis quam citavimus; scilicet cum id unum optatum esset ut nihil aliud in constitutione sacri ministerii mutaretur quam quod potestas papalis pelleretur. Liquido ostendit *Ordines*

II. *De personali Intentione Ministri.*

133. Ad secundam pergamus. Quaerendum est quaenam intentio ministri ad Sacramentum in genere valide conficiendum requiratur; et specialiter de sacramento Ordinis quaerendum est qualem intentionem episcopus in sacris Ordinibus conferendis personaliter habere debeat.

134. Huc citabimus imprimis Doctorem Angelicum, (*Summ. Theol.* p. iii. qu. lxiv. 8 ad. 2), "Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est minister; in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum." Quid vero sit intentionem Ecclesiae exprimere liquido apparet ex definitione qua Concilium Tridentinum requirit in ministro, *intentionem saltem generalem faciendi quod facit Ecclesia*[1]. Quam Tournely (*de Sacr.* qu. vii. art. i.) his verbis peracute annotat: "Quia synodus Tridentina exigit tantum a ministro sacramentorum ut intendat facere *quod Ecclesia facit*, non ait ut intendat facere *quod Ecclesia intendit.*" Nempe cum intendit minister id facere quod Ecclesia facit, eaque intentione facit vel dicit ea quae Ecclesia facienda vel

papales, quos vocat, sacerdotum diaconorumque retentos esse, quippe qui regnante Edwardo VI. pro *Ordinibus Ecclesiae Christi* reputarentur, itemque regnante Elizabetha ob eandem causam nulla facta mutatione in usu continuarentur. "Nimirum experientia," inquit, "nos docebit hos nostros presbyteros non modo in eodem officio ac sacrificulos papales constitutos esse sed etiam alia multa, quae non nisi ad istos pertineant, constanter retinere. Qui igitur ad sacerdotium vel diaconatum temporibus Henrici promotus fuerit, is quidem regnantibus Edwardo et Maria et Elizabetha sacerdos diaconusve in eodem sacerdotio vel ministerio continuatur." Talia querebatur puritanus et Ecclesiae insectator acerrimus, eaque tam *Libri ritualis* testimonio quam *communi fere omnium consensu* probari censuit. De Puritanis vide quae disseruerunt Wetzer et Welte, in *Dictionnaire Encyclopédique de la Théologie Catholique*, tome xix. p. 388. Inter eorum opiniones hanc referunt: "C'est une damnable erreur de la part de l'église épiscopale que de prétendre déduire la validité de la consécration des évêques anglicanes de la série non interrompue des évêques auxquels ils se rattachent, depuis les Apôtres, et de déclarer et consacrer par là l'église romaine comme l'église veritable."

[1] *Conc. Trid.* sess. vii. *De Sacr. in gen.* can. xi.

dicenda praecepit, propriam suam intentionem intentioni Ecclesiae totam subicit; neque externos tantum actus ex mero iussu Ecclesiae perficit, sed potius actus intentione Ecclesiae ad certum finem determinatos ministerialiter agendo perhibet. Quid autem per hos actus externos Ecclesia efficere intendat, seu quemnam finem revera sibi proposuerit, si quando minister vel nesciverit vel male intellexerit, non ideo in irritum ruet sacramentum, licet minister in casu minime intendat id quod intendit Ecclesia. Non enim in propria sua persona agit, sed in persona Ecclesiae; non proprios suos actus, sed actus Ecclesiae perficit; quos, dum partes ministri tantum sibi tribuat, ab eo fine, quem respicit Ecclesia, nequaquam divertere potest.

135. An igitur nihil ipse intendit? Videtur quidem S. Thomas, loco citato, nullam prorsus *intentionem mentalem* in ministro requirere. Sed hoc durius. Nam nisi quid ipse in mente intenderit, tota actio in meram gesticulationem cadet. Omnis enim actus humanus, qui in se finem non habeat, per quandam intentionem determinatur, quam rationi actus congruam esse oportet. Ergo actus ministerialis per intentionem ministerialem determinatur. Intentionem autem ministerialem habere nihil aliud est quam propriam intentionem intentioni alterius subicere. Neque ullatenus necesse est ut minister hanc *alterius intentionem* vel ipse habeat vel etiam intelligat. Id unum requiritur ut quod alter fieri velit, quicquid sit, id ipse facere intendat. Itaque si quos actus externos alter proposuerit quibus id quod intenditur efficiatur, minister simul his actibus perhibitis, nisi fortasse si eos inefficaces esse pro persuasissimo habuerit, intentionem suam ministerialem perfecerit. Namque intentionem alterius tum debito more expressit tum quantum in se est efficacem reddidit. Atqui ad conficienda sacramenta quidam actus externi ab Ecclesia proponuntur, quorum efficaciae diffidere nefas. Hos igitur si minister sacramenti, qui et Ecclesiae seu potius ipsius Christi Ecclesiae Domini minister, fideliter adhibuerit, intentionem Ecclesiae satis exprimet, sacramentum sine dubio conficiet, quod facit Ecclesia vere perficiet; idque vi suae intentionis ministerialis totum comparabit.

136. Quae cum ex *ministerii* notione generali sane defluant, in promptu est dicere episcopum, qui ministerium suum exsequendò actus externos ad finem sacrorum Ordinum conferendorum intentione Ecclesiae directos adhibuerit, sacros Ordines vere atque efficaciter collaturum esse. Verumenimvero non totam quaestionem ita disceptavimus. Namque inter doctores acriter disputatum est quanam in specie constituatur huiusmodi actio ministerialis. Apparebit enim quaerenti tres esse ministerii species. Prima est eius cui tantum actus pure externus praecipiatur, ut si quis ministro suo ferrum quoddam terendo expoliri imperaverit. Altera est eius cui actus ad certum finem moraliter directus praecipiatur, ut si quis ministro suo ferrum quoddam ita terendo expoliri imperaverit ut loco suo in machina quadam recte aptetur; cuiusmodi ministrum intentionis domini saltem participem fieri necesse est. Tertia est eius cui tantum intentio domini indicetur, quam modis ex scientia sua ad finem aptis perficiat, ut si quis ministro machinam quandam recte aptari imperaverit. Quibus perpensis tertia iam species ratione sacramentorum omnino excluditur, cum Dominus noster et Auctor sacramentorum materiam et formam saltem in genere, ne quid strictius loquamur, Ipse praeceperit. Restat ut aut in prima aut in secunda specie constituatur ministerium sacramentorum, nec satis constat ex theologorum dictis utri favendum sit. Quid de hac re disputatum fuerit ex variis auctoribus summatim tantum collegimus, quorum nomina, cum locos communes theologorum citemus, minime proderit rettulisse.

137. (1) Ac primo sunt qui tradant ministerium sacramentorum in actibus pure externis ita constitui, ut si quis hos actus vel ioco posuerit sacramentum vere conficiat. Sed in hac opinione nihil morabimur, quae eis tantum convenit qui efficaciam sacramenti ex sola fide suscipientis pendere credant, imo quae naturae sacramenti prorsus repugnat.

(2) Altera opinio est eorum qui putent efficaciam sacramenti ex intentione Ecclesiae ita pendere ut si qui minister actus mere externos ex iussu Ecclesiae serio adhibuerit, sacramentum conficiat, cuius valorem nulla sua intentione,

quamvis contraria, impedire possit, cum scilicet id quod Ecclesia fieri velit ille et facere intenderit et actu fecerit.

(3) Tertio censent aliqui requiri quidem intentionem ministri mentalem seu internam, qua se moraliter subiciat principali agenti, sed hanc intentionem per verba quae in sacramento dicuntur, ut ait S. Thomas, scilicet per formam essentialem, ita exprimi, ut minister hac utendo ad rectam intentionem necessario alligetur, nisi qui apertius declaraverit se aliud quoddam intendere quam quod Ecclesia intendat.

(4) Quarta opinio, quae iam communior evasit, est eorum qui doceant ita requiri in ministro intentionem saltem generalem et in confuso faciendi quod facit Ecclesia, ut si qua vel in animo eius latuerit contraria intentio, sacramentum omnino non consistat.

138. Talia in tractatibus de sacramentis in genere passim disputantur, nec nostrum erit tantas componere lites. Id solum nobis competit, ut ex singulis opinionibus unicam adeamus quaestionem, utrum Barlovo obici possit defectus intentionis, qui consecrationem Parkeri in dubium revocare queat. Itaque neglecta prima si secundam opinionem respexerimus, dubia facile solventur. Namque ex dictis (*cap. iii.*) apparet externos actus, qui in ritu Anglicano proponuntur, ad sacras ordinationes vere conficiendas intentione Ecclesiae determinatos esse. Hos autem Barlovum in consecratione Parkeri serio adhibuisse nemo, nisi fabulatores de ludicro diversoriano ineptissimi, unquam dubitavit. Unde constat, si in hanc opinionem discedatur, eum actu intendisse facere quod Ecclesia facit.

139. Sin autem tertiae opinioni fautum erit eodem fere modo dubia diluentur, cum quidem Barlow verba ritualia seu formam sacramenti procul dubio pronuntiarit, neque ullo modo indicarit se aliud quoddam, quam quod Ecclesia intendat, in eis proferendis intendisse.

140. Ad quartam opinionem pervenimus, quam paulo prolixius expendere praestabit. Namque obicitur in animo Barlovi probabiliter latuisse contrariam intentionem quae externo ritui valorem sacramentalem adimeret. Ecquis autem voluntatem alterius in animo latentem cognoverit?

Quaenam fuit huiusmodi contrarietas? Responsum est eum sententias de sacris Ordinibus vulgo protulisse quae rectam intentionem ordinandi prorsus excluderent. Quorsum haec? Huiusmodi sententiis certe non ita favebat ut ritus Ecclesiae reiceret. Nempe hos ritus per totum vitae cursum saepius adhibuit. Quo tandem modo? An ioco? Nemo credit. An derisorie? Nemo probat. Quid igitur? "Per hos ritus externos sacro quodam ministerio fungendo aliquid certe facere intendebat, non autem quod facit Ecclesia." Talia ex adversa parte communius obiciuntur, quae deinceps nostrum erit examinare.

141. Jam vero ut inter rectam et contrariam intentionem satius distinguatur, rationes quorundam optimorum theologorum verbatim citabimus. Ac primo referemus Card. Bellarminum, qui in libro de Sacramentis in genere, cap. xxvii. 8, ita disserit: "Non est opus intendere, quod facit Ecclesia Romana; sed quod facit *vera* Ecclesia, quaecunque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani: ista enim in idem recidunt. Petes: Quid si quis intendat facere, quod facit Ecclesia aliqua particularis et falsa, quam ipse putat veram, ut Genevensis, et intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? Respondeo, etiam id sufficere. Nam qui intendit facere, quod facit Ecclesia Genevensis, intendit facere, quod facit Ecclesia universalis. Idem enim ille intendit facere, quod facit talis Ecclesia, quia putat illam esse membrum Ecclesiae verae universalis: licet fallatur in cognitione verae Ecclesiae. Non autem tollit efficaciam sacramenti error ministri circa Ecclesiam, sed *defectus intentionis*." Talia docet Bellarminus, in qua doctrina mirifice convenire Catholicos doctores animadvertit, et mox strenue negat a concilio Tridentino id requiri ut minister "intendat non solum actum sed etiam finem sacramenti, id est, intendat illud, propter quod sacramentum est institutum." Namque ut aperte asserit, "quod Ecclesia facit, non finem, sed actionem significat."

142. Porro ex parte theologiae moralis, Lehmkuhl (*P. i. L. i. Tr. i. de sacr. gen.* c. iv. § 2) haec dicit. "Ratione obiecti, quod intendi debet, et ratione modi, quo ritus *ut sacer* poni

debet, requiritur et sufficit ad valorem sacramenti, ut *in confuso* et, ut dicitur, *reductive* minister in persona Christi agere velit, seu ut ritum et *aliquo modo qua sacrum* exercere intendat, neque contraria aliqua voluntate positive nolit eum *qua a Christo institutum* peragere." Itemque in pleniore eiusdem quaestionis explicatione haec addit. "Etsi *aliquo* modo minister ut Christi mandatarius agere atque agere velle debet, tamen (1) non requiritur, ut minister reflexe et expresse intendat agere nomine Christi: S. Alph. n. 21 et 22; (2) non requiritur, ut minister expresse intendat agere nomine Ecclesiae catholicae, seu ut Ecclesia catholica agi vult: S. Alph. ib. Sine dubio illae intentiones optimae sunt et sufficientissimae. Qui vero illas intentiones non tantum non expresse haberet, sed e contrario eas positiva et praevalente voluntate excluderet, is utique sacramentum nullum conficeret: nam sic volendo, seu potius nolendo, *omnem* voluntatem se gerendi ut Christi mandatarium et instrumentum excluderet, ita ut ne reductive quidem eam haberet. Quo fieret, ut actio illa maneret mere inermis et materialis ritus, qui a Deo ut actio a Christo per suum ministrum posita non assumeretur. Atque adeo ne illa quidem intentio omnino requiritur, qua velit minister exercere ritum, quem ipse pro sacro et gratiae efficaci habet, modo velit eum ritum, quem scit ab aliis haberi pro sacro, ita peragere, uti ab aliis pro sacro habeatur. Id ex certa et constanti praxi et doctrina Ecclesiae eruitur. Numquam enim propter eam solam rationem v. g. baptismum iteravit, aut iterari permisit, quod ab haereticis aut infidelibus collatus esset, qui vim et sanctitatem baptismi non agnoscerent. Hac de re optime Suarez *de sacr.* disp. 13, sect. 2: 'Dicendum est, requiri intentionem faciendi sacramentum vel sub hoc conceptu, vel sub aliqua ratione confusa et communi seu aequivalenti, sc. intendendo facere, quod Christus instituit, vel *quod Christiani faciunt, vel aliquid simile*: quilibet enim ex his modis intentionis absque controversia sufficit, et reperiri potest in haeretico vel alio infideli.' Quare sola haeresis vel infidelitas *per se* nunquam est sufficiens ratio de intentione requisita dubitandi; at si alia indicia accedunt, ut odium Christiani nominis, quod e.g. in homine

Judaeo alterove similis conditionis saepe merito suspicari possumus, intentio debita num adfuerit ac sacramentum verum reddiderit, rationabiliter in dubium vocatur."

143. Deinde referemus propositionem quam Liebermann in suis Institutionibus (*Lib. vi. c. iii. Art. ii.* §*ii.*) protulit: "Ut perficiatur sacramentum, non requiritur ut minister effectum sacramenti intendat neque ut ritum celebret tanquam sacrum, aut id velit facere quod facit Ecclesia Catholica et Romana." Id vero ex decisionibus Martini V., Eugenii IV., et concilii Tridentini probat, quae "nil aliud in ministro requirunt tanquam omnino necessarium, quam intentionem id faciendi quod facit Ecclesia, neque mentionem habent aut finis quem minister sibi proponit, aut effectus qui ex sacramento profluit." Probat etiam ex constanti usu Ecclesiae, "quae nunquam iteravit baptismum ab haereticis collatum, quamvis illi effectum sacramenti negarent, aut id tantum intenderent facere, quod sua, non quod Romana facit Ecclesia." Probat tandem ex natura ministerialis actionis. "Sacramenta sunt publica religionis symbola a Christo propter suscipientium bonum instituta, vimque sanctificandi in se ipsis continent. Ergo et effectum consequuntur, quoties rite administrantur, nec adsit obex ex parte suscipientis. Minister autem, cum non suo, sed Ecclesiae nomine agat, privata sua intentione falsa et erronea opus Dei quod tractat inficere non potest. Atque optime S. Thomas ait (*P. iii. Qu. lxiv. Art. x.*) 'Perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri pervertitur id quod agit in sacramentis, in quantum est opus eius, non in quantum est opus Christi, cuius est minister; et est simile, si minister alicuius hominis prava intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione mandaret.'"

144. Denique ex thesi xvii. Tractatus de Sacramentis in genere, qua Card. Franzelinus opinionem nomine Ambrosii Catharini celebrem, quae nostrae secundae est proxima, gravissime perstringit, haec paulo prolixiora de effectu ritus adhibiti mutuabimus[1]. "Quia intentio *generalis* et *confusa* faciendi quod facit Ecclesia, seu quod christiani facere solent

[1] In editione quarta, p. 230.

per ritum externum, sufficit, ut sacramentum consistat; et quia supposita consistentia sacramenti, eius efficacia est ex divina institutione atque plane independens a voluntate ministri, ideo minister habens intentionem sufficientem ad hoc, ut *sacramentum sit*, nulla sua intentione quamvis contraria potest excludere sanctitatem, virtutem, et efficaciam sacramenti. Sic qui vellet *vere baptismum conferre*, quae intentio certe sufficit ad valorem sacramenti; sed simul expresse nollet conferri gratiam, nollet hominem Deo consecrari, imo per sacramentum vellet eum daemoni devovere, ut de impio quodam homine saec. xvii. Massiliae rumor sparsus erat in vulgus (cf. Billuart de Sacr. dissert. V. a. 6. § 2 obiect. 4); is sibi quidem noceret, non tamen sacramenti virtutem et efficaciam impediret. Cf. S. Thom. 3, q. 64, a. 10.

145. "Hinc si instituatur comparatio cum *intentione speciali* faciendi et conferendi id, quod Ecclesia facit et confert per sacramenta; recte dici potest valere sacramentum, dummodo minister *intentione generali* velit conferre baptismum, ut solent illum conferre christiani, etiamsi *intentione speciali* nolit facere quod Ecclesia facit, id est nolit e.g. conferre sacramentum efficax, imo nolit ut baptismus, quem vult conferre sincere ceu baptismum christianorum, sit sacramentum, nolit sanctificare baptizatum, vel nolit facere, quod facit Ecclesia Romana, quam putet non habere verum baptismum &c. Hunc in sensum, ut inferius evidens fiet, dixit Innocentius IV. (in commentario privato ad cap. *Si quis puerum* l. iii. tit. 42, c. 1); 'non est necesse quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quid baptismus, vel unde sit, *nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia*, imo *si contrarium gereret in mente* scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, *dummodo baptizare intendat*.'

146. "Ex his patet aliud doctrinae caput necessarium ad multas difficultates removendas. Quando scilicet ipse *effectus* actionis sacramentalis a Christo elevatus est ad rationem sacramenti, ut sacramentum est Eucharistia et legitimus contractus matrimonialis, minister *intendens hunc effectum* licet *nesciat eum esse sacramentum*, vel etiamsi *nolit*

ut sit sacramentum, non potest impedire rationem sacramenti. Sic qui *vult consecrare Eucharistiam*, simulque habeat intentionem expressam, ut Eucharistia a se consecrata *non sit sacramentum*, vel ut per consecrationem, quam supponitur velle, *non fiat sacrificium*, hac sua perversa intentione nec rationem sacramenti nec sacrificii impedit. Pariter sponsi baptizati, qui volunt *verum inire contractum matrimonialem* (servatis conditionibus necessariis ad valorem contractus), eo ipso efficiunt sacramentum, etiamsi *expresse vellent rationem sacramenti excludere*. Ratio horum est, quia ab intentione ministri pendet quidem suam actionem, institutam a Christo ad effectionem sacramenti, ponere *mere materialiter*, ita ut nullum habeat effectum, puta si proferens verba *nolit consecrare* et proferentes verba aut signa consensus *nolint consentire in matrimonium*; at si adsit intentio sufficiens *ad producendum effectum Eucharistiae* aut *matrimonii*, effectus positus *independenter a quavis ministri voluntate* habet necessario eas omnes rationes et proprietates, quae ei sunt ex Christi institutione insitae.

147. "Has tamen omnes *intentiones contrarias* oportet non esse ita absolutas, ut intentionem alteram e.g. consecrandi contrahendi matrimonium &c. excludant et destruant. Sic qui ita absolute nollet fieri sacramentum ut, si revera insit haec ratio sacra, velit etiam *non consecrare* vel *contractum matrimonii inire*; is utique excluderet intentionem necessariam et sufficientem ad valorem. Videndum ergo est, quaenam ex *intentionibus oppositis*, quae ambae simul non possunt esse efficaces, praevaleat. Qui vult in datis exemplis absolute consecrationem Eucharistiae aut contractum matrimonii validum, non potest velle *efficaciter* exclusionem sacramenti, quia hoc Eucharistiae et contractui est insitum et inseparabile; qui contra absolute vult exclusionem sacramenti ita, ut sub hypothesi veritatis sacramenti nolit consecrare aut contrahere, is *tali efficaci intentione opposita* excludit simul consecrationem vel contractum. Generatim loquendo talis *exclusio efficax sacramenti* non potest locum habere nisi ex reflexa, obstinata, et rarissime in animis humanis occurrente malitia."

148. Auctores citavimus mirifice ut ait Bellarminus inter se consentientes. Imo eisdem fere verbis sententias non raro ferunt. Ex his omnibus quid colligemus? Ea quae ad scopum nostrum pertinent in propositiones redigere conabimur. Supponimus in quolibet casu materiam et formam essentialem ab idoneo ministro adhiberi.

(1) Minister sacramenti ut rectam intentionem habeat non debet necessario intendere id quod Ecclesia intendit.

(2) Non debet necessario intendere id facere quod facit Ecclesia Romana.

(3) Satis est eum intendere id facere quod Ecclesia aliqua particularis, quam ipse putet esse membrum verae Ecclesiae universalis, facere solet.

(4) Non requiritur ut minister ritum celebret tanquam sacrum.

(5) Ordinatio valet si minister sub aliqua ratione confusa intenderit facere quod Christus instituit.

(6) Ordinatio valet si minister intentione generali voluerit ordines conferre quos solent conferre Christiani, vel aliquid simile.

(7) Ordinatio valet etiamsi minister nesciat quid sit Ordo, vel unde sit, dummodo ordinare intenderit.

(8) Ordinatio valet etiamsi minister noluerit ut ritus, quem exercet, sacramentum sit vel gratiam conferat.

(9) Generatim loquendo contraria intentio rectam non excludit nisi minister actu voluntatis expresso et positivo secum statuerit, *Nolo ordinare*, aut sub hypothesi veritatis sacramenti, *Nolo sacramentum Ordinis conficere.*

III. *De Barlovi aliorumque Anglicanorum Intentione.*

149. His igitur perpensis Barlovi casum exploremus. Quis autem credat eum, dum Parkerum consecraret, secum secreto statuisse *Nolo consecrare?* Quis credat eum, supponendo quod sacra ordinatio verum sit sacramentum, statuisse *Nolo istum sacramentum conficere?* Cur tandem assumatur eum in mente talia gessisse? "At si de his cogitasset talem intentionem contrariam prorsus habuisset." Respondemus

cum Gasparrio (*op. cit.* n. 968), hanc voluntatem interpretativam in rerum natura non existere, neque ideo in actibus humanis iudicandis assumi debere. "At ille derisoria quaedam de sacris ordinationibus iactitaverat." Concedimus, et haec ipsi iam antea[1] rettulimus. Quod si per haec verba temerarie, ne quid severius dicamus, anno 1536 prolata, intentio eius in consecrando Parkero post tres et viginti annos vitiata sit, quid porro dicendum est de omnibus ordinationibus quas plurimas his annis ille confecerat? Quis vero sacerdotis ab eo ordinati characterem in quaestionem vocavit? "At ordinationem pro mera ad officium quoddam civile promotione habuit." Minime concedimus; sed tamen referatur propositio quarta ex supradictis. "At in multos et gravissimos errores circa sacros ordines inciderat." Item referatur propositio septima. Nec quidem et hoc verum esse omnino concedimus. Quid vero de sacris ordinibus ille reipsa senserit superius[2] ostendimus. "At reiecto antiquo Pontificali novum prorsus ritum in consecratione adhibuit, unde constat eum id quod Ecclesia facere solebat minime intendisse." Nempe id facere intendit quod Ecclesia particularis, scilicet Anglicana, quam ipse procul dubio putaret membrum esse verae Ecclesiae universalis, fieri voluit. Porro quid novi fuerit in hoc ritu, qua sedulitate partes essentiales sacramenti Ordinis conservatae sint, fusius in capite superiore demonstratum est. Intentionem vero Ecclesiae qua hic ritus adhiberi debeat, in hoc ipso capite exposuimus. Quae si intentio actionem Barlovi direxerit, dubitari non potest quin ille quod Christus instituit, quod Christiani facere solebant, saltem in confuso intenderit.

150. "At Ecclesia Anglicana negat Ordinem sacramentum esse, ideoque ministri huius Ecclesiae in conferendis ordinibus sacramenti confectionem intendere omnino nequeunt; id autem quod in hac re Ecclesia facit est confectio sacramenti; ergo episcopi Anglicani non intendunt facere quod facit Ecclesia." Responsio patet ex propositione octava. Quinimo negamus praemissam superiorem. Ecclesia Anglicana quan-

[1] Vid. supra, n. 65.
[2] Vid. n. 58 seqq.

donam de sacramento Ordinis ita statuit? In *Articulis Religionis* a convocatione cleri anno 1562 approbatis, asseritur (Art. xxv.) quinque vulgo nominata sacramenta non *eandem sacramenti rationem* cum Baptismo et Coena Domini habere, "ut quae signum aliquod visibile, seu caerimoniam a Deo institutam non habeant." Quippe *materiam* tantum, neque eam certa ratione, ab ipso Christo praeceptam esse omnes agnoscunt. Ideoque sensu strictissimo sacramentum Ordinis pro *sacramento evangelico* non est habendum. Quid vero de hac re docuerint auctores Anglicani in plano est. Audi Bramhallum: "Liber ordinalis pars est nostri *ritus sacramentorum administrandorum*. Ordinationem sacramentum esse nos minime negamus, licet ex illis duobus non sit quae ad salutem generaliter necessaria sunt[1]." Audi Hookerum, inter scriptores Anglicanos praestantissimum, qui licet nomine sacramenti sacros ordines nusquam insigniat, quippe cum auctor rhetoricus potius quam theologicus evaserit, tamen rationem sacramenti his verbis aperte reddidit: "Quibus Christus potestatem tum in Corpus mysticum, quod est animarum societas, tum in suum ipsius naturale, ut haec adunentur, impertiit (qua quidem operatione doctores antiqui *Corpus Christi confici* dicebant), in eis huiusmodi potestas signaculum quoddam vel character recte nominatur, et indelibilis esse agnoscitur." Et mox docet potestatem, ipsis ordinantis verbis traditam, χάρισμα seu donum gratiae esse quod a Spiritu Divino impertiatur[2]. Audi Homiliam, in ipsis

[1] [The Ordinal] is part of our form of "Administration of the Sacraments." We deny not Ordination to be a sacrament, though it be not one of those two sacraments which are "generally necessary to salvation." *Bramhall's Works*, edit. Haddan, vol. iii. p. 81. Notandum est haec ultima verba ex catechismo Ecclesiae Anglicanae desumpta esse, ubi assertum est non *duo tantum* absolute esse sacramenta, sed *duo tantum ad salutem generaliter necessaria*. Valde miramur Estcourtum (*op. cit.* p. 247), qui istam Bramhalli dissertationem, cum citet, perlegere saltem debuit, ex alia eiusdem opusculi parte aliqua reportasse, quibus insinuet Anglicanos auctores nihil de Sacramento Ordinis dixisse.

[2] Hooker, *Eccl. Pol.* Bk. v. ch. lxxvii. § 2. To whom Christ hath imparted power both over that mystical body which is the society of souls, and over that natural which is himself for the knitting of both in one; (a work which antiquity doth call the making of Christ's body;) the same power is in such not amiss both termed a kind of mark or character and acknowledged to be indelible. § 8. The

Articulis Religionis commendatam. "Non Ordo, non aliud quodlibet sacramentum, talem sacramenti rationem habet qualem Baptismus et Communio. Sed sensu generaliori nomine sacramenti indicatur quodlibet signum rei sacrae[1]."

151. Longum esset alios referre qui plurimi eadem docuerunt. Haec vero summatim dicere libet. Si quando scriptores Anglicani sacros ordines inter sacramenta numerare noluerint, id non nisi *sensu strictiori* accipiendum est; quo sensu ea tantum quae omnibus Christi fidelibus generatim tanquam ad salutem necessaria proponuntur, pro veris sacramentis habentur. Communissime autem docent per sacros ordines gratiam conferri, eosque ad hominum iustificationem institutos fuisse; sed distinguunt inter gratiam quae *ad salutem*, seu propriae iustificationis causa, homini datur, atque eam quae *ad lucrum*, seu ad aliorum iustificationem, confertur[2]. Illam sacramentorum proprie dictorum unicam esse causam finalem agnoscunt; hanc vero sacrorum ordinum primariam esse causam finalem defendunt. Nec tamen per sacros ordines gratiam gratum facientem conferri ignorant; namque de *gratia virtutis ministerialis*[3] passim et facundissime tractant. Hanc autem liquet esse *gratiam sacramentalem*, qua ordinatus valet functiones recepti ordinis sancte peragere[4]. Nempe ordinato datur habitus ad ministerium apte peragendum, quem tamen non diversum esse a gratia sanctificante docet Franzelinus[5], sed potius ipsam esse gratiam sanctificantem ad proprium finem sacramenti Ordinis speciali modo directam. Eadem tradunt Anglicani. Jeremias Taylor docet ordinationem nihil aliud esse quam personae sanctificationem, quae

power and authority delivered with those words is itself χάρισμα, a gracious donation which the Spirit of God doth bestow.

[1] Neither Orders nor any other Sacrament else be such Sacraments as Baptism and the Communion are. But in general acceptation the name of a Sacrament may be attributed to anything whereby an holy thing is signified. *Homily of Common Prayer and Sacraments*, in Libro Secundo Homiliarum.

[2] Ita distinguitur apud Sanderson, *Serm.* 3 *ad clerum.*

[3] Anglice, "*grace of ability*," id quod respicit verba (1 Pet. iv. 11) *Si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus*; Anglice, *If any man minister, let him do it as of the ability which God giveth.*

[4] Definitionem e Gasparrio, *op. cit.* n. 1130, transtulimus.

[5] *Tract. de Sacramentis in Genere*, p. 143.

dupliciter efficiatur; nam primo segregatio est eius ad mysteria quaedam religionis agenda, deinde et sanctificatio eius per augmentationem vel collationem gratiarum quae ad opera ministerii digne praestanda necessariae sunt. Constat enim eos qui tanta gratiae dignatione ad sacra ministeria peragenda vocantur, aliis quoque gratiis indigere, quibus sancti tam habitu et indole quam vocatione fiant. Ideoque in ordinatione conferuntur gratiae sanctificationis, quibus auxiliante S. Spiritu ordinatus personaliter sanctior evadat[1]. Talia docuit episcopus Dunensis, qui apud omnes Anglicanos maximo in honore habetur.

152. Quapropter si sacramentum ex definitione Augustiniana pro *signo rei sacrae*, seu ex definitione in Catechismo Tridentino (*de sacr. in gen.* § 5) prolata pro *invisibilis gratiae visibili signo ad nostram iustificationem instituto* habeatur, hoc sensu generaliori iuxta mentem doctorum Anglicanorum fere omnium Ordo est sacramentum. Ergo episcopus qui in sacris ordinationibus id facere intendit quod facit Ecclesia Anglicana, intendit hoc saltem sensu confectionem sacramenti.

153. "At ipse Barlow non illos ordines qui in Ecclesia Catholica conferuntur conferre voluit, sed potius novum aliquod ministerium novo ritu condere intendit, quod primitivae Ecclesiae ministerium esse falso putavit. Ergo actu voluntatis positivo aliud quoddam facere intendit quam quod Apostoli faciebant, vel Ecclesia facit. Talis autem actus voluntatis positivus rectam intentionem prorsus excludit." Ita quidam. Unde autem haec eius voluntatis tam clara

[1] Ordination is no other but a sanctification of the person, in both senses; that is, (1) A separation of him to do certain mysterious actions of religion. (2) It is also a sanctification of the person, by the increasing or giving, respectively to the capacity of the suscipient, such graces as make the person meet to speak to God, to pray for the people &c..... They who are honoured with so great a grace as to be called to officiate in holy and useful ministries, have need also of other graces to make them persons holy in habit and disposition, as well as holy in calling.... And therefore Ordination is a collation of holy graces of sanctification.... The proper and great aid which the Spirit of Ordination gives is such instances of assistance which make the person more holy. Jer. Taylor, *Clerus Domini*, sect. vii.

notitia? Istamne intentionem ipse verbis expressit? Minime rerum. Quid ergo? Ex opinionibus notis reducenda est. Quae tandem illae? Ubi, quando, quomodo huiusmodi voluntatem, nedum intentionem formalem, ille reclusit? Haeccine ille intendit, qui antiquo more ipse ordinatus et consecratus alios quoque iuxta hunc ritum, deinde et alios iuxta ritum reformatum eodem iure ordinavit et consecravit; qui et hos et illos in eodem ministerio pariter constituit; qui sacros ordines in Ecclesia constanter receptos per novum ritum continuandos curavit; qui tandem ipsum Parkerum in successorem Card. Poli expresse confirmavit et consecravit? Itane novum condidit ministerium? Nempe id valde displicuit novatoribus Anglis, Puritanis, Nonconformistis, Separatistis, Anabaptistis, toti Calvinistarum gregi, quod novum huiusmodi ministerium non esset conditum. Hi quidem eos qui antiquis ritibus ordinati essent in ministerio retinere nolebant; omnia novari optabant; sacros ordines spurcissimis verbis inquinabant. "Toto corde," inquit Fulke, "ordines vestros putidos oleosos antichristianos nos abominamur reicimus detestamur respuimus[1]." Fortius quam elegantius dictum. Verbis paulo mitioribus nec tamen incertis Travers[2], in libro *de Ecclesiastica Disciplina*, fo. 16, "Papisticos," inquit, "sacerdotes eos dico, qui nulla unquam nova ordinatione ad legitimum ministerium delecti sunt." Talia Puritani; talia non Barlow, non Parker, non rectores Ecclesiae Anglicanae senserunt. Novum ministerium nec condiderunt nec condere voluerunt. Episcopos et sacerdotes quolibet ritu catholico promotos secum in eisdem ordinibus in eodem ministerio

[1] With all our heart we abhor, defy, detest, and spit at your stinking, greasy, antichristian orders. Fulke, *A retentive to stay good Christians, &c.* p. 69. Auctor Puritanus, Ecclesiae tamen conformatus, et in Academia Cantabrigiensi Professor.

[2] Travers infestissimus erat Hookeri adversarius, qui nullis sacris ordinibus susceptis per abusum eo tempore haud rarum in beneficia quaedam intrusus est. *Minister* secundum Genevensem disciplinam creatus est Antwerpiae anno 1578, quod solum *legitimum ministerium* esse putavit. Cf. ea quae supr. n. 132, in nota, de Puritanis diximus. Calvinistarum Anglicorum iam citavimus *Conformistam* Fulke, *Nonconformistam* Travers, et *Separatistam* Penry (n. 132), qui contra mentem Ecclesiae Anglicanae sacros ordines veteri ritu collatos pro nullis habuerint.

constitutos libenter receperunt. Nimirum ob eam rem Puritanorum obiurgationes, minas, incursiones, fortiter sustinuerunt, sacrumque Ecclesiae ministerium continuarunt, custodierunt, tandem cum vitae discrimine defenderunt. Multis eorum parum sanctimoniae erat: fatemur. Multi in gravissimos errores inciderunt: fatemur. Defensores Ecclesiarum male evaserunt: fatemur. Sed partes difficillimas obtinebant; Ecclesiam a barathro Calviniano vix retinebant. Ipsos aulici carpebant, conviciabatur regina, schismatici distrahebant, catholici non pauci spernebant[1]. Per tot pericula, per multos errores, viri debiles hebetati vacillantes Ecclesiam in portum salutis tandem reduxerunt. Illud nos recordabimur; errorum obliviscemur. Ipse Barlow vir admodum ingratus fuit[2]; fatemur. Hoc tamen ille nobis gratum fecit: sacrum ministerium nobis tradidit.

Debitum persolvimus. Intentionem Ecclesiae exposuimus, Barlovi defendimus. Aliorum Parkeri consecratorum intentiones nemo fere insectatus est. Huc igitur argumenti pervenimus, ut consecrationem Parkeri vere ac rite, ab idoneis ministris cum recta intentione, confectam fuisse ostendamus.

[1] Magno damno fuit istis temporibus Ecclesiae Anglicanae quod viri catholici per totam fere Angliam quam plurimi ab omni cum episcopis commercio abstinebant. Qui tempore Edwardi VI. res novas dum tolerabant moderabantur, eidem episcopos Elizabethanos, quamvis Edwardinis multo praestantiores—id quod certe censebis si Parkerum cum Cranmero, Juellum cum Poneto, Cheyneium cum Hoopero comparaveris—praetereuntes, Ecclesiam Calvinistis paene abolendam suspiciosi et morosi permiserunt.

[2] "*Un assez triste personnage*," Dalbus, p. 17.

CAP. V.

De Sacerdotio.

154. Hactenus de consecratione ipsius Parkeri disputavimus, quam valide confectam fuisse multis et certis testimoniis et rationibus ostendimus. Ab hoc fonte ordinationes Anglicanae ex confesso derivantur. Nec tamen res ideo finita est. Restat enim alia obiectio, quae Parkerum aliosque eiusdem temporis episcopos minime attingit, sed omnium fere qui exinde in ecclesia Anglicana ordinati sint characterem episcopalem et presbyteralem in dubium revocat. Obiectio tali modo exhiberi potest:—

Etiamsi concedatur Ritum Anglicanum pro consecrandis episcopis adaequatum esse, Parkerum aliosque eo tempore in verum episcopatum valide promotos fuisse, *tamen* hodierno tempore in ecclesia Anglicana nulli sunt veri episcopi, cum nulla sit *ordinatio sacerdotum*, qua suppleantur *subiecti episcopatus capaces.*

155. Nimirum Parker ceterique, qui anno 1559 consecrati sunt, iampridem in sacerdotium iuxta Pontificalia antiqua ordinati erant. At contra successoribus eorum obicitur quod iuxta ritum reformatum ordinati nullum characterem sacerdotalem recepissent, unde et episcopatus omnino incapaces forent. Conclusio est quod prae defectu subiectorum episcopatus in Ecclesia Anglicana cessaverit[1]. Obiectio in formam syllogisticam apte resolvitur: I. Episcopatus non nisi veris

[1] Ita Dalbus (*op. cit.* p. 31) ratiocinatur. "Les évêques anglicans n'ont pas continué à ordonner des prêtres, et l'épiscopat n'a pas pu se recruter faute de sujets aptes à recevoir la consécration."

sacerdotibus conferri potest. II. Nulli in Ecclesia Anglicana sunt veri sacerdotes. *Ergo.* Nulli sunt in Ecclesia Anglicana qui episcopatum vel receperunt vel recipere possunt.

I. *Diluuntur obiectiones.*

156. Huic obiectioni proinde respondebimus. Ac primo quidem contra *maiorem* excipiendum est. Tantum abest ut nemo nisi sacerdos in episcopatum promoveri possit, ut multos diaconos vel etiam laicos per saltum consecratos fuisse referant auctores historici[1]. Diaconi promoti fuerunt S. Athanasius aliique antistites Alexandrini[2], necnon plures Romani Pontifices, qui ex diaconatu, nulla praemissa ordinatione presbyterali, in Pontificatum pervenerunt[3]. In ritu Nestorianorum de consecratione Electi, qui diaconus tantum ordinatus sit, expresse provisum est[4]. Laicos autem consecratos fuisse admodum probabile est S. Cyprianum, S. Ambrosium, S. Martinum Turonensem, S. Germanum Antissiodorensem[5], quin ulla ordinatione ad gradus inferiores promoti essent. Cuiusmodi ordinationum haec est ratio. Consecratio episcopalis natura sua plenam confert potestatem sacerdotalem. Hoc vero plenum sacerdotium in se comprehendit non modo potestates episcopales proprie dictas, sed etiam illas quae sensu strictiori presbyterales hodie ducuntur. Namque ordo episcopalis non extensio et complementum presbyteratus, sed

[1] Redactor *Libri Pontificalis* doctissimus L. Duchesne hoc luculentum testimonium perhibet: "L'antiquité ecclésiastique est pleine d'histoires d'ordinations épiscopales célébrées sans que les degrés inférieurs eussent été préalablement conférés. Nombre des papes ont été promus directement du diaconat à l'épiscopat. Ce n'est que depuis le déclin du xi[e] siècle que la coutume contraire s'est établie à Rome et que les diacres élus papes se sont fait d'abord ordonner prêtres." *Bulletin Critique, Juillet*, 1894.

[2] Vide auctores apud Bingham, *Antiquit.* lib. ii. c. x. § 5.

[3] Vide *Lib. Pontif.* apud Migne *Patrolog. Lat.* tom. 128. Id narratur de Stephano, A.D. 752, Paulo, A.D. 757, Constantino anti-papa, A.D. 768, Adriano, A.D. 772, Stephano, A.D. 816, Valentino, A.D. 827, Nicolao, A.D. 858.

[4] Denzinger, *Rit. Orient.* tom. ii. p. 238, Edit. 1864.

[5] Pontius in Vita S. Cypriani, 2. ita testatur, "Judicio Dei et plebis favore ad *officium sacerdotii et episcopatus gradum* adhuc neophytus, et ut putabatur novellus, electus est." Quae verba ita interpretanda fere certum est, ut significent *officium sacerdotii quod in gradu episcopatus constituitur.* Nempe *hendiadys* est.

potius *totum* est cuius pars est presbyteratus. Quapropter nec requiritur in subiecto presbyteratus neque alii gradus inferiores, quo valide in episcopum consecretur. Ita sentire principes inter eruditos in antiquitatibus ecclesiasticis monet Gasparri (*op. cit.* n. 24), qui et ipse animadvertit Apostolos a Christo Domino episcopos presbyteros diaconos uno ictu fuisse constitutos. Item SS. Paulum et Barnabam, secundum id quod legitur in Actis Apostolorum xiii, 3, sine praevia ordinatione episcopos consecratos fuisse verisimile est. Nec primo quidem gradum presbyteralem medium inter episcopatum et diaconatum constituisse videntur Apostoli, sed potius plenum sacerdotium eis omnibus, qui in S. Scriptura episcopi seu presbyteri indifferenter nuncupantur, contulisse. In Epist. ad Titum i, 5 *presbyteri* tantum memorantur; in Epist. ad Timotheum prima iii, 1—10 *episcoporum* tantum et *diaconorum* mentio fit; *maiores natu* (τοὺς πρεσβυτέρους) tanquam veros *episcopos* pleno iure Milesiam Ecclesiam rexisse constat ex Act. Apost. xx, 17, 28. Epistola ad Philippenses "omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum *episcopis* et *diaconibus*" dirigitur. Necnon S. Clemens, qui apostolicae praxeos testis optimus exstat, ait apostolos per regiones verbum praedicantes *episcopos et diaconos* constituisse, nulla gradus medii facta mentione (1 Ep. ad Cor. 42). Talia notat Gasparri, et hanc opinionem existimat esse vere probabilem, tum intrinsecus tum extrinsecus propter tot tantorumque doctorum, quos refert, auctoritatem.

157. Quod si plenum sacerdotium in gradu episcopali diaconis vel etiam laicis conferri potest, principium a quo tota pendet obiectio, quam discutimus, in irritum cadit. Non hac ratione cessavit episcopatus Anglicanus. Episcopi ab aliis Episcopis rite consecrati, *summi sacerdotes* ordinati sunt, plenam sacerdotii potestatem receperunt.

158. Attamen in hanc responsionem recidere nos minime volumus. Namque si hoc modo pauci tantum Episcopi per saltum ordinarentur, neque alios presbyteros ad ministerium sacerdotale admitterent, valde inutile foret Ecclesiae talem hierarchiam continuare; nisi fortasse, quod in Ecclesia Anglicana minime accidit, plurimi in plenum sacerdotium primi

gradus promoverentur, ac prae temerario quodam sacrorum canonum praxeosque catholicae contemptu gradus presbyteralis apostolico more exstingueretur. Quid vero si, Praelatis perpaucis ad episcopatum per saltum promotis, aliud quoddam novellum ministerium loco presbyteratus institueretur, et falso nomine sacerdotii ornaretur? id quod Ecclesiae Anglicanae plane obicitur. Nempe non tali episcopatui commisit Christus Dominus Ecclesiam suam, neque isto ministerio pascuntur Christi fideles. Nos igitur non modo episcopatum sed etiam verum presbyteratum sacerdotio praeditum in Ecclesia Anglicana exstare ostendere volumus[1].

[1] Cum consecratio *per saltum* praetermissis gradibus inferioribus admodum infrequens et abnormis fuerit (nisi fortasse in casu diaconorum promovendorum) manifestum est eam non nisi in gravi necessitate permittendam esse. In Ecclesia Anglicana nunquam permissa fuit. In Ecclesia Scoticana, post gravissimam discordiam, anno 1610 promoti sunt Joh. Spottiswoode ad sedem Metrop. Glasguegensem, Andr. Lamb ad Brechinensem, Gav. Hamilton ad sedem Casae Candidae seu *Galloway*, qui nullos sacros ordines antea receperant. Consecrati sunt ab episcopis Anglis, Georgio Abbott Londiniensi, Lanc. Andrewes Eliensi, Jac. Montague Bathonensi, 21 Oct. 1610 (Stubbs, *Reg. Sacr. Angl.* p. 91). Andrewes ante consecrationem consultus affirmavit eos presbyteratum recipere oportere. Contra Ric. Bancroft Archiep. Cantuariensis, ad quem res relata est, casibus perpensis qui in antiqua ecclesia occurrissent, respondit non eis imponendam esse ex necessitate receptionem graduum inferiorum (Collier, *Eccl. Hist.* Pt. ii. Bk. viii.). Ideoque urgente necessitate ecclesiae Scoticanae, tunc temporis Calvinismo vastatae, ad unitatem fidei illiciendae, illi quidem per saltum episcopi consecrati sunt. Successio autem ab illis derivata tempore Magnae Rebellionis mortuis omnibus episcopis omnino cessavit. Postea anno 1661 restaurata est hierarchia Scoticana, promotis Joh. Sharpe ad sedem Metrop. S. Andreae, Andr. Fairfowl ad Glasguegensem, Rob. Leighton ad Dunblanensem, Jac. Hamilton ad sedem Candidae Casae. Hi primo quidem ad diaconatum et presbyteratum ordinati, deinde consecrati sunt episcopi a Gilb. Sheldon Londiniensi, Geo. Morley Vigorniensi, Ric. Sterne Carliolensi, Hug. Lloyd Landavensi. (Collier, *op. cit.* Pt. ii. Bk. ix.; Stubbs, *op. cit.* p. 99.) Ab his tandem derivata est hierarchia Scoticana hodierna, quae proinde Ecclesiae Americanae episcopatum donavit in persona Sam. Seabury Ep. Connecticutensis, consecrati Aberdoniae, 14 Nov. 1784, a Roberto, antistiti Aberdoniensi, assistentibus eiusdem coadiutore alioque episcopo. Notandum est tamen hierarchiam Americanam ex Anglia quoque alio fonte derivatam esse. Namque Will. White Ep. Pennsylvaniensis, et Sam. Provoost Ep. Neo-eboracensis, a Joh. Moore Cantuariensi, Will. Markham Eboracensi, Car. Moss Bathonensi, Joh. Hinchcliffe Petriburgensi, consecrati sunt Lambethae 4 Feb. 1787; et Jac. Madison Ep. Virginiensis ab eodem Joh. Cantuariensi, B. Porteus Londiniensi, Joh. Thomas Roffensi consecratus est Lambethae 19 Sept. 1790. (Stubbs, *op. cit.* pp. 121, 122.)

159. Sacerdotium Anglicanum quattuor potissimum rationibus oppugnatur, quarum duae ad ritum, duae ad intentionem Ecclesiae spectant. Omnes summatim hoc loco proponemus.

(*a*) In ritu Anglicano pro ordinandis presbyteris omissa est porrectio instrumentorum. Ergo materia est inadaequata.

(*b*) Nulla in hoc ritu occurrit mentio potestatis offerendi. Ergo forma est invalida.

(*c*) Ecclesia Anglicana negat realem Praesentiam Corporis Christi in S. Eucharistia. At si nulla sit realis Praesentia, nullum est sacrificium; si nullum sit sacrificium, nullum sacerdotium. Ergo Ecclesia Anglica implicite reicit sacerdotium nec sacerdotes facere intendit.

(*d*) Ecclesia Anglicana formaliter negat in S. Eucharistia sacrificium offerri. Necnon Ritus ordinationis presbyteralis de industria mutatus est, ut notio sacrificandi prorsus excluderetur. Ergo Ecclesia Anglicana verum sacerdotium conferre non intendit.

E rationibus tertia et quarta in eo esse conclusum videtur, ut si qui episcopus ex mente Ecclesiae Anglicanae presbyteros ordinaverit, non modo intentionem habere nequeat faciendi quod facit Ecclesia Catholica, sed etiam actu positivo voluntatis contradictorium quoddam intendat, quod valorem sacramenti omnino adimat.

(*a*) *De Porrectione Instrumentorum.*

160. Has igitur rationes expendemus. Ac primo de Porrectione Instrumentorum respondendum est. In Pontificali Sarisburiensi eadem reperta est caerimonia quae in Pontificali Romano adhibetur. Haec vero, in prima reformatione ritus Anglicani retenta, postmodum anno 1552 omissa fuit. Qua sola mutatione ordinationes iuxta hunc ritum confectas omni valore privatas esse quidam putaverunt[1]. Scilicet porrectionem instrumentorum pro materia essentiali ordinationis presbyteralis ponunt. De materia sacramenti

[1] Ita statuit Dalbus, *op. cit.* p. 37.

Ordinis iam antea non pauca disputavimus, nec tamen otiosum erit ea percurrere, quae sacerdotium specialiter respiciant.

161. In primis Morinum[1] consulemus. Is quidem instrumentorum traditionem ad substantiam ordinationis presbyteralis pertinere minime concedit; solam sacerdotii materiam esse manuum impositionem ex copia suae eruditionis probat. Hanc solam notat omnes Ecclesias Latinas, Graecas, Barbaras, semper agnovisse; hanc solam in omnibus antiquis Ritualibus, in Patribus omnibus Graecis et Latinis inveniri. Graecos demonstrat et legitime et valide Presbyteros ordinare, quorum ordinationes Ecclesia Romana semper accepit. Apud eos autem incognita est et semper incognita fuit instrumentorum traditio. Legantur et relegantur Graecarum ordinationum *ἀκολουθίαι*, seu rituales; nihil aliud, inquit, sedula lectione deprehendes praeter manuum impositionem, quod materiae rationem induere possit. Ideoque Morinus ex ipsa Ecclesiae Romanae praxi hodierna probat istam traditionem instrumentorum ad substantiam sacramenti non pertinere. Antiquos Rituales Latinos quoque, Gregorianum aliosque antiquissimos sacramentarios libros, testatur se perlegisse. Profundum et mirum de instrumentis apud eos silentium. Scriptores etiam de officiis Ecclesiasticis, qui eis temporibus florebant, Isidorum, Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, Walfridum Strabonem, ne verbum quidem de his rebus scripsisse affirmat. Tandem post annum 1000 nonnullos auctores instrumentorum mentionem fecisse concedit, qui tamen ordinationis naturam in eorum traditione minime ponunt. Porro ex antiquis illis canonibus, qui concilii Carthaginiensis IV. esse olim putabantur, reportat axioma quod ordines, qui impositione manuum conferebantur, instrumenta non habebant, ei autem, quibus instrumenta erant, impositione manuum carebant. Scilicet maiores per solam impositionem manuum, minores per solam instrumentorum traditionem conferebantur. Quid vero aetatis haec caerimonia ritui conferendorum ordinum maiorum accesserit, Morinus haud facile iudicandum putavit, cum praesertim episcopi diversi Ritua-

[1] *De Sacr. Eccl. Ordin.* pars iii. Exercit. vii. *De Presbyt.* cap. i. § vii. seqq.

libus multa gradatim addiderint; sed ante annum Christi 1000 hoc factum esse e coniectura censuit.

Talia Morinus, et plura, quae ex accuratissima totius antiquitatis indagatione in usum theologorum collegerat, quibus ab Urbano VIII. commissa esset examinatio Graecorum rituum.

162. Hanc tamen caerimoniam tam recentem non pauci eximii theologi pro materia presbyteralis ordinationis iuxta ritum Romanum habuerunt. Nam tres opiniones de hac materia ventilari notum est, quas ex S. Alphonso Liguori (*Lib. vi, Tr.* 5, *de Ordine*) potissimum brevi exponemus.

163. *Prima* opinio est quod sola materia est instrumentorum traditio, cum verbis relativis *Accipe potestatem etc.* coniuncta, qua conferatur potestas tam offerendi quam absolvendi. Huic autem sententiae notat S. Alphonsus doctores raro favisse.

164. *Altera* opinio est quod in presbyteratu conferendo materia duplex adhibetur, adeo ut primo per instrumentorum traditionem cum relativis verbis conferatur potestas in Corpus Christi verum, utpote potestas sacrificandi; deinde per impositionem manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata etc.* detur potestas in Corpus Christi mysticum, scilicet potestas absolvendi et ligandi.

165. Secundum *tertiam* opinionem hae duae potestates simul conferuntur per primam impositionem manuum in ritu Romano adhibitam, seu potius per secundam, quae est continuatio primae, cum scilicet episcopus et presbyteri assistentes manus super ordinandos extensas tenent dum recitantur orationes.

166. Tertiam opinionem extrinsecus probabiliorem esse censet S. Alphonsus, cum verbis Concilii Tridentini fulciatur, quibus minister extremae unctionis dicitur episcopus esse aut sacerdos per impositionem manuum presbyterii ordinatus. Alia quoque testimonia profert S. Doctor tum e Tridentino tum ex antiquitate, quae iam satis exposuimus. Attamen alteram opinionem tanquam probabilem in praxi sequendam esse monet. Eandem sententiam ferunt plerique recentiores. Liebermann (*L. vi. p. v. c. ii. Art. i.* § *i—ii.*) sibi persuadere non

potest traditionem instrumentorum ita ad sacramenti essentiam pertinere ut, quod in Ecclesia Latina per decem saecula, in Graeca vel adhuc, sine hoc ritu integrum et validum fuerit, eius omissione iam irritum fiat sacramentum. Materiam igitur presbyteratus esse manus impositionem certissimo aestimat. Gasparri, cuius disputationem de materia et forma Sacramenti Ordinis in genere iam antea citavimus, huic sententiae de presbyteratu adhaeret. Putat enim (*op. cit. n.* 1079) materiam totius ordinationis sacerdotalis iuxta ritum Romanum esse impositionem manuum episcopi ab initio vel primam, vel alteram quae est continuatio primae. Haec vero dumtaxat in theoria ponit. In praxi tutissimam sententiam sequendam esse monet, cautelasque varias iuris canonici consultus addit, quibus docet impositionem manuum, si omissa fuerit, vel primam vel ultimam, *supplendam* esse, sin autem praetermissa fuerit instrumentorum traditio integram ordinationem *repetendam* esse sub conditione.

167. Verumenimvero patet has controversias e structura Pontificalis Romani complicata originem traxisse. Ritus enim e variis fontibus derivatus est. Multa accesserunt quae sancti antistites Ecclesiarum Latinarum pro libito suo induxerant. Variae caerimoniae, varii ritus, salva semper substantia sacramenti, post nonum praesertim saeculum irrepserunt. Fere omnia Romae fiebant. Huc omnia confluxerunt, unde et fluctu reflexo in ceteras Ecclesias redundabant. Ideoque in omnibus Pontificalibus Latinis post medium aevum comparantur pro ordinandis presbyteris et trina manuum impositio et instrumentorum porrectio, quae omnia, ut Morini verba mutuemus, materiae rationem induere possunt. Ea quae antiquitus in ritu habebantur virtutem sacramentalem etiamnunc retinere fere omnes consentiunt. De his quae recentius accesserunt quaestio vexatur.

168. Quid vero nobis Anglicanis cum hac controversia? Nos enim perinde ac Graeci sola manuum impositione, eaque semel facta, presbyteros ordinamus. Graecas autem ordinationes nemo unquam in dubium revocavit. Curnam igitur nobis obiecta est omissio instrumentorum?

Responsum est Ecclesiam Anglicanam esse partem Eccle-

siae Occidentalis; toti autem Ecclesiae Occidentali porrectionem instrumentorum non accidentale esse ritus additamentum, sed materiam necessariam et essentialem sacramenti; ideoque ordinationes Anglicanas prae defectu huius materiae esse omnino invalidas.

169. Opiniones theologorum de institutione formae et materiae sacramentorum iam superius e Gasparrio rettulimus (n. 92); quae si collatae fuerint, ex altera pendere videbitur obiectio quam consideramus. Et nominatim proponunt obiectores Eugenii IV. *Decretum pro Armenis*, quo materiam sacerdotalis ordinationis pro Ecclesia Occidentali mutatam fuisse demonstrent[1]. In ultima sessione Concilii Florentini, legatis Armenorum unionem cum Ecclesia Romana petentibus, Pontifex illud celeberrimum decretum edidit, in quo de doctrina et disciplina Ecclesiae, et speciatim de materia et forma sacramentorum, perspicaciter agitur. Qua de causa hoc fecerit in ipsis decreti verbis declarat. "Expedire iudicavimus," inquit, "ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos haesitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unioque ipsa stabilis et perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae fidei veritatem, quam super praemissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus." Huius rei gratia post alia quaedam satis explanata, pergit ad doctrinam sacramentorum exponendam. Ac primo sancti baptismatis "Materia," inquit, "est aqua vera et naturalis." Simili modo Eucharistiae materiam docet esse panem triticeum et vinum de vite. Mox eadem ratione haec addit: "Sextum sacramentum est Ordinis cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem[2]."

170. Plane dictum. Quaenam autem huius decreti intentio? Quaenam auctoritas? Sunt qui velint ut Pontifex Armenis indicaverit quid suis ordinationibus ad exemplum

[1] Dalbus, *op. cit.* p. 31, seqq.
[2] In Bulla, *Exultate Deo*, § 4, 10, 15.

ritus Romani addere deberent. Nihil autem de additamentis dictum; nihil de ritibus complendis quos illi olim habuerunt; nec quicquam defuit Armenis ex eis quae in decreto materiae ceterorum sacramentorum memorantur. Sacramenti Ordinis perinde ac sancti Baptismatis una tantum ponitur materia: huius aqua vera et naturalis, illius porrectio instrumentorum est materia. Porro vel clarior elucet intentio decreti si cum opusculo quarto S. Thomae ad episcopum Panormitanum conferatur. "Postulat a me," inquit Angelicus, "vestra dilectio, ut de Articulis Fidei et Ecclesiae Sacramentis aliqua vobis compendiose pro memoriali transcriberem." Deinde aliis tractatis cum ad sacramentum Ordinis perventum sit, "Materia," inquit, "huius Sacramenti est illud materiale per cuius traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per collationem calicis; et quilibet ordo traditur per collationem illius rei quae praecipue pertinet ad ministerium illius ordinis[1]." Quorsum haec? Non ille haec scripsit ut Orientales ritibus instrueret. Quid ergo? Quippe materiam indicavit quam ab initio in sacrorum ordinum collatione usurpatam fuisse credebat. Namque ex mente S. Thomae "debet esse divina institutione determinatum, quae res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento[2]." Itaque porrectionem instrumentorum ab ipso Christo Domino institutam, atque in Ecclesia semper et ubique receptam fuisse ille putavit; quam sententiam sequebantur et alii scriptores scholastici, Graecarum ordinationum, ut ait Morinus, ignari, et antiquae Latinorum traditionis incuriosi[3]. Haec vero sententia in decreto Eugeniano ipsis fere Angelici verbis exprimitur. Ergo nihil aliud intendisse videtur Pontifex, quam ut usum Ecclesiae Romanae ab initio immutatum exponeret. Non ille quidem cum veterioribus censere potuit totam Ecclesiam hunc ritum recepisse, vel hanc solam esse in omnibus Ecclesiae partibus adhibitam sacerdotii materiam. Namque in Concilio sedebant Graeci quorum ordinationes sola manuum impositione collatas ipse agnoverat. Opinionem

[1] S. Thom. Aq. *Op. omnia.* Edit. Parmens. tom. xv. pp. 115–121.
[2] *Summa Theol.* P. iii. qu. lx. art. v. ad. 1.
[3] Morinus, P. iii. exerc. i. cap. i.

autem de propria sacramenti materia apud theologos Latinos praevalentem exposuit; nec dubitare possumus quin ipsi in votis fuerit ut Orientales in eandem sententiam reduceret. Nihil in decreto de mutatione materiae et formae invenimus; nihil quod vim legislativam habere videatur. Atqui si quis vim legislativam ad mutationem efficiendam in eo agnoverit, qua tandem ratione hanc ad Ecclesiam Occidentalem spectare probat? Pro Armenis redactum est decretum. Non Armeni ad Ecclesiam Occidentalem pertinent. Sacro approbante Florentino Concilio editum. Concilio interfuerunt Graeci et Russi. Quomodo illi vim huius decreti evaserunt? An vero ordinationes Graecorum et Russorum, sive unitos malis seu schismaticos vocare, vi huius decreti in irritum rediguntur? Absit. Ergo non illi ad verba decreti ligantur. Ergo nec alii. Conclusio certissima ex factis oriri videtur, quod Eugenius IV. mutationem formae ac materiae sacramenti pro Ecclesia Occidentali, vi suae legislativae potestatis, neque efficere intendit neque effecit.

171. Quid igitur valet decretum? Ad hoc duo quaerenda sunt. 1°. Utrum auctoritate Concilii Florentini fuerit editum; 2°. Utrum Pontifex eiusmodi definitionem fidei promulgarit quam Conc. Vaticanum *ex sese irreformabilem* esse censuit.

(1°). Decretum a Concilio Florentino editum fuisse affirmat Dalbus, negat Gasparri (*op. cit.* n. 1007). Concedit ille plerosque Graecos e Concilio iam pridem discessisse; multos tamen asserit mansisse, ut rebus conciliaribus operam adhuc impenderent. Quinam vero isti? Manebat Bessarion, qui nec partes Graecorum sedente Concilio agebat, neque illos absentes alligare poterat, nec postea Nicaeam rediit, sed in Cardinalatum promotus cum Ecclesia Romana seipsum in posterum consociavit. Manebat Isidorus Russianus, qui et ipse Cardinalis creatus, postquam in Russiam redierat, a suis adeo spretus et reiectus fuit ut unionem, quam optabat, nullo pacto efficere posset, tandem e monasterio, quo carcere tenebatur, Romam refugeret. Ab istis oratoribus consensus Orientalium vix satis perhiberi potuit. Concilium, ut ita dicamus, iam absolutum erat. Ideoque cum Gasparrio

putamus huic decreto auctoritatem conciliarem tribui nequire. Sed minoris esse momenti quaestio videtur.

(2°). Quid re ipsa fecerit Pontifex ex dictis apparet. Nempe Armenorum instruendorum causa proprios Ecclesiae Romanae ritus tantum historice describit. Ita Gasparri; cui tamen vix assentire possumus cum dicit eam potissimum memorari caerimoniam, quam Graeci non habent. Nihil enim in ritibus aliorum sacramentorum memoratum est quod Graecis deerat. Nec quidem, id quod illi arridet, hanc materiam *ritualem* tantum iuxta communem loquendi modum apponi credimus, quam solam auctor decreti verbis agnovit. Quicquid autem de hac re sentiendum sit ritus non nisi historice describuntur; quocirca decreto nec definitio inest, neque auctoritas legis ferendae. Ita sane sentiebat Benedictus XIV. (*de Synod.* viii. 10) qui cum facultatem mutandi materiam et formam in dubium gravissimum evocasset, "Data," inquit, "Ecclesiae facultate de qua est sermo, gratis omnino et arbitrario fingitur quod Ecclesia ea usa fuerit. Dicant ubi et quando, quo saeculo, in quo concilio, a quo pontifice facta sit eiusmodi mutatio." Quibus verbis Pontifex doctissimus per decretum Eugenianum, quod paulo superius explanaverat, eiusmodi mutationem effectam fuisse implicite negavit.

172. Jam satis et amplius de hac re disputavimus. Tandem in Morini sententiam recedimus. Cum scilicet per decem saecula plus minus Ordines hierarchici per solam impositionem manuum nullo instrumentorum usu adhibito in Ecclesia Latina collatos fuisse demonstratum sit, cumque in Ecclesiis Orientalibus per solam impositionem manuum etiam nunc notorie conferantur, his duabus rationibus inducti concludimus per ipsam manuum impositionem, tanquam solam essentialem materiam, ordinationem presbyteralem semper et ubique in Ecclesia fuisse confectam. Ideoque in Ecclesia Anglicana per impositionem manuum, omissa porrectione instrumentorum, sacerdotium valide conferri pro certissimo habemus.

(*b*) *De potestate offerendi.*

173. Altera obiectio est quod nulla in ritu Anglicano occurrit mentio potestatis offerendi, quae principalis est potestas sacerdotii. Itaque cum forma debeat potestatem ordinis exprimere, concluditur nullam esse in ritu Anglicano formam ad sacerdotium conferendum adaequatam.

174. Respondemus nullam inveniri in ritibus Ecclesiae antiquioribus formulam quae huius potestatis mentionem faciat. Id plane testatur Morinus. Nec nisi verbis admodum generalibus propriae sacerdotum potestates exprimebantur. Exemplum ex Constitutionibus Apostolorum (*lib. viii. c.* 16) reponi liceat[1]. "Omnipotens Domine Deus noster, qui cuncta per Christum tuum condidisti et universa per ipsum providentia, ut cuique naturae convenit, curas: Qui enim potest varia efficere, hic etiam potest variis modis providere: Per ipsum enim, Deus, immortalibus quidem sola conservatione provides; mortalibus autem successione, animae studio legum, corpori expletione indigentiae: Ipse igitur et nunc respice Ecclesiam tuam sanctam, eamque adauge, et eos qui in ea praesunt multiplica, et da illis virtutem ut verbo et opere ad aedificationem populi tui laborent. Ipse etiam nunc respice super hunc famulum tuum suffragio et iudicio totius cleri ordini presbyterorum ascriptum, et imple eum

[1] Κύριε παντοκράτωρ, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ διὰ Χριστοῦ σου τὰ πάντα δημιουργήσας καὶ δι' αὐτοῦ τῶν ὅλων προνοῶν καταλλήλως· ᾧ γὰρ δύναμις διάφορα ποιῆσαι, τούτῳ δύναμις καὶ διαφόρως προνοῆσαι· διὰ γὰρ αὐτοῦ, ὁ Θεός, προνοεῖς τῶν μὲν ἀθανάτων φυλακῇ μόνῃ, τῶν δε θνητῶν διαδοχῇ, τῆς ψυχῆς φροντίδι νόμων, τοῦ σώματος ἀναπληρώσει τῆς ἐνδείας· αὐτὸς οὖν καὶ νῦν ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν ἁγίαν σου ἐκκλησίαν καὶ αὔξησον αὐτήν, καὶ πλήθυνον τοὺς ἐν αὐτῇ προεστῶτας, καὶ δὸς δύναμιν πρὸς τὸ κοπιᾶν αὐτοὺς λόγῳ καὶ ἔργῳ εἰς οἰκοδομὴν τοῦ λαοῦ σου. αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τοῦτον τὸν ψήφῳ καὶ κρίσει τοῦ κλήρου παντὸς εἰς πρεσβυτέριον ἐπιδοθέντα, καὶ ἔμπλησον αὐτὸν πνεῦμα χάριτος καὶ συμβουλίας τοῦ ἀντιλαμβάνεσθαι καὶ κυβερνᾶν τὸν λαόν σου ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ὃν τρόπον ἐπεῖδες ἐπὶ λαὸν ἐκλογῆς σου καὶ προσέταξας Μωϋσεῖ αἱρήσασθαι πρεσβυτέρους, οὓς ἐνέπλησας πνεύματος· καὶ νῦν, κύριε, παράσχου, ἀνελλιπὲς τηρῶν ἐν ἡμῖν τὸ πνεῦμα τῆς χάριτός σου, ὅπως, πλησθεὶς ἐνεργημάτων ἰατικῶν καὶ λόγου διδακτικοῦ, ἐν πραότητι παιδεύῃ σου τὸν λαὸν καὶ δουλεύῃ σοι εἰλικρινῶς ἐν καθαρᾷ διανοίᾳ καὶ ψυχῇ θελούσῃ, καὶ τὰς ὑπὲρ τοῦ λαοῦ σου ἱερουργίας ἀμώμους ἐκτελῇ· διὰ τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοι δόξα, τιμὴ καὶ σέβας καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. Textum *Lagarde* adhibemus, Morini versionem mutatis mutandis sequimur.

spiritu gratiae et consilii ad opitulandum populo tuo, ad eumque corde mundo gubernandum, sicut respexisti populum tuum electum et Moysi jussisti seniores eligere quos spiritu implevisti; Idem nunc Domine praesta, servans in nobis spiritum gratiae tuae non deficientem, ut plenus operationibus ad sanandum aptis, sermone ad docendum idoneo, populum tuum mansuete erudiat; serviatque tibi sincere, ac mente pura animoque libente, ac pro populo tuo sacra rite et sine vitio operetur, per Christum tuum, cum quo Tibi gloria, honor, cultus, et Sancto Spiritui, in saecula. Amen."

175. Talem *benedictionem* respiciunt antiqui canones pseudo-Carthaginienses, quibus praeceptum est ut "Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui praesentes sunt manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant." Quippe materia sacramenti indicatur, forma vero nulla tanquam essentialis in specie praecipitur. Nimirum istam benedictionem seu formam sacramentalem ad nutum cuiusque episcopi infinite variatam fuisse creditur; nullum tamen ab eruditis adducitur exemplar, quod potestatem sacrificandi recte exprimat. Quae autem ritibus tamdiu deerant, tandem in libros Occidentalis Ecclesiae verba sensim irrepserunt. In codice Corbeiensi, qui noni saeculi videtur esse, ad impositionem planetae legitur benedictio—"*ut offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo.*" Eadem in codice Anglicano saeculi xi. referuntur, iuxta quem et haec dicit episcopus ad manuum inunctionem: "Benedic Domine et sanctifica has manus sacerdotis tui *ad consecrandas hostias quae pro delictis atque negligentiis populi offeruntur.*" Haec Morinus[1] affert. Tandem in codice saeculi xii. idem doctissimus Porrectionem Instrumentorum invenit, quam his verbis memorari testatur: "Expletis benedictionibus faciat episcopus crucem in manus singulorum de oleo et chrismate, dicens orationem, *Consecrare et sanctificare, quaesumus Domine, manus istas etc.* Deinde patenam cum oblatis, et calicem cum vino, de singulis dicens

[1] Morinus, *de Sacr. Ordin.* in Parte II. pp. 273, 286. Sequuntur et alia eiusdem generis.

ad eos lenta voce, *Accipite potestatem offerre sacrificium Deo, missamque celebrare, tam pro vivis quam et pro defunctis, in nomine Domini*[1]."

176. Nec vero huiusmodi benedictiones formae rationem sibi vindicant, quae neque ullo modo cum sacramentali materia cohaereant, nec nisi potestatis iam collatae clarius indicandae causa fuerint additae. Ita sentiebat Magister Sententiarum (*lib. iv. dist.* 24).

177. Porro neque in Pontificali Romano perhibetur iuxta communiorem sententiam forma presbyteralis ordinationis quae huius potestatis mentionem faciat. Nam facta conclusione quod per primam vel secundam impositionem manuum confertur sacerdotium, sequitur ut orationes quae hanc caerimoniam comitantur pro forma essentiali habeantur. "Formam," inquit Gasparri (*n.* 1079), "censemus esse praefationem sicuti in antiqua liturgia Romana: quomodo enim probas Ecclesiam vim consecrativam ademisse praefationi et tribuisse aliis precibus? Neque dicas prolationem formae in casu nimis distare a positione materiae; nam respondemus adesse moralem unionem sufficientem, idque manifeste probari ex antiqua liturgia Romana." In hac autem antiquissima oratione ne verbo quidem indicatur potestas offerendi.

Cadit quaestio. Nequicquam requiritur ut in forma sacramenti potestas offerendi memoretur[2].

(*c*) *De doctrina Anglicanorum circa Realem Praesentiam.*

178. Ad tertiam obiectionem pergamus. "Ecclesia Anglicana," aiunt obiectores, "negat Realem Praesentiam Corporis Christi in S. Eucharistia. At si nulla sit Realis Praesentia, nullum est sacrificium; si nullum sit sacrificium, nullum sacerdotium. Ergo Ecclesia Anglicana implicite reicit sacerdotium nec sacerdotes facere intendit[3]."

179. Quid ergo? Episcopi ad mentem Ecclesiae Anglicanae ordinantis intentio depravatur. Num vero ista illatio

[1] *Ib.* p. 332.

[2] Fatetur Estcourt (*op. cit.* p. 164) responsione de ordinationibus Abyssinorum data (vide infr. n. 208) praecidi hanc obiectionem.

[3] Vide Dalbus, *op. cit.* p. 20.

adeo certa est? Intentio ministri, ut superius (n. 148) ostensum est, errore alicuius Ecclesiae particularis non adeo inficietur ut ille sacramentum valide conficere nequeat, dummodo id facere intendat, quod facit Ecclesia, quam verae universalis partem esse putat. Atqui episcopus, qui sacras ordinationes in Ecclesia Anglicana peragit, presbyteros facere ex confesso intendit, quos facit ista Ecclesia. Et quales illi? Tales, respondemus, quales in Ecclesia Christi semper fuerunt. Id quidem in capite superiori certissimis testimoniis demonstravimus. Hi vero presbyteri, in omni Christiano saeculo ordinati, fueruntne sacerdotes annon? Si vere tales fuerunt, episcopus Anglicanus presbyteros qui veri sacerdotes fiant ordinare intendit. Sin minus, id non intendit. Nihil in hac re officeret neque ulla Anglicanorum vel communissima sententia, neque ipsius Ecclesiae Anglicanae, si qua praestaret, erronea definitio. Ideoque, concesso quod Ecclesia Anglicana sacerdotium reiecerit, nihil obstat quominus episcopi Anglicani verum sacerdotium conferant. Id vero minime concedimus; neque huic responsioni, quamvis victrici, inniti volumus. Multo satius erit obiectionem totam radicitus evellere, atque haeresim, cuius insimulari matrem nostram Ecclesiam aegre ferimus, non nisi ficto crimine obiectam fuisse demonstrare.

180. Ad hanc haeresim Ecclesiae Anglicanae infigendam citatur *Declaratio de genuflectendo*—vulgo *Rubrica Nigra* nuncupata—quae in Libro Precum Publicarum post Ordinem Sacrae Communionis locum habet. In hac enim, cum primo promulgata esset anno 1552, de genuflectione ad S. Eucharistiam recipiendam facta declaratum est, "Nullam per eam intendi vel faciendam esse adorationem aut sacramentalis panis et vini ibi corporaliter acceptorum, aut realis cuiusquam et essentialis praesentiae ibidem Christi carnis et sanguinis naturalium.....Nam Christi Salvatoris nostri corpus naturale et sanguis non hic sed in caelo sunt. Repugnat enim veritati Christi veri et naturalis corporis, ut in pluribus locis simul consistat[1]."

[1] "We do declare that it is not meant thereby that any adoration is done, or ought to be done, either unto the sacramental bread and wine there bodily

181. De hac Declaratione tria animadvertenda sunt. (1) Libro Rituali proprie loquendo non competebat. Non omnibus exemplaribus inserta est; aliis in folio adventitio, aliis huc illuc in paginis excusa accedebat. Jussu enim Concilii Intimi Regis, die 27° Octobris dato[1], libro addita est, qui iam 1° Novembris in usu fore debebat. Quis vero eam conscripserit nescimus. Cranmer eo tempore negotiis conciliaribus aberat, nec quisquam ecclesiasticus huic rei operam dedisse videtur. Nihil auctoritatis Declaratio habuit, nisi quod regia manu ei subscriptum esset. Definitionem autem regio tantum iussu promulgatam Ecclesia neque sancivit neque actu positivo recepit[2]. (2) Liber anno 1552 editus cui addita fuit Declaratio, Edwardo Rege iam moribundo nec post mensem octavum superstite, parumper in usum venit. (3) Cum vero post mortem Mariae Reginae eiusdem libri usus redintegratus esset, omnino omissa fuit ista *Rubrica Nigra*, quam ideo Ecclesia Anglicana prorsus reiecit.

182. Tandem post annos plus centum, cum convenissent anno 1661 episcopi et principes nonconformistarum ut de horum in gremium Ecclesiae reditu tractarent, strenue nitebantur Puritani ut haec declaratio Libro Rituali insereretur. Responderunt episcopi eam nec Liturgiae partem fuisse, nec iure sancitam esse[3]. Tamen hoc libro a synodis provincialibus eiusdem anni castigato, Rubrica eisdem fere verbis composita denuo inserta est. Sed parva quadam facta mutatione, sensus verborum haereticus totus evanuit. Nam ubi declaratio regia Edwardi VI. *realem et essentialem* praesentiam Christi carnis et sanguinis naturalium negasset, rubrica quae

received, or to any real and essential presence there being of Christ's natural flesh and blood.... And as concerning the natural body and blood of our Saviour Christ, they are in heaven and not here. For it is against the truth of Christ's true natural body to be in more places than one at one time."

[1] Vide *Privy Council Book*, Oct. 27. "A Letter to the Lord Chancellor to cause to be joined unto the Book of Common Prayer, lately set forth, a certain Declaration signed by the King's Majesty, and sent unto his lordship, touching the kneeling at the receiving of the Communion."

[2] Vide quae de hac re optime disseruit Dixon, *History*, vol. iii. p. 477 seqq. Declaratio manum sapit Petri Martyris, exulis Florentini, qui id temporis inter aulicos summa gratia florebat.

[3] Cardwell, *History of Conferences*, ch. vii. p. 354 (Edit. Oxon. 1894).

nunc in Libro Precum Publicarum legitur *corporalis* tantum praesentiae notionem excludit. Per genuflectionem testatur "nullam vel intendi vel faciendam esse adorationem aut sacramentalis Panis et Vini ibi corporaliter acceptorum, aut corporalis cuiusquam Praesentiae Christi carnis et sanguinis naturalium[1]." Quid vero *praesentia corporalis*? Eam praesentiam sonat, ait P. Gunning qui auctor fuit huius emendationis, *quae corpori connaturaliter competat*[2]. Corporis autem ea est praesentia connaturalis qua circumscriptive in certo loco habeatur; qualem esse Praesentiam Corporis Christi in Eucharistia nemo non negat. Caverunt igitur Synodi Anglicanae ne *realem* Praesentiam negarent: *corporalem* hoc sensu negabant. Proinde eadem de hac re sentiebant quae S. Thomas (*S. T. p. iii. qu. lxxv. art.* 1) affirmat, "Corpus Christi non esse eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali (*v.l.* spirituali) modo, qui est proprius huic sacramento." Quinetiam idem S. Thomas "nullo modo" ait "Corpus Christi est in hoc sacramento localiter" (*p. iii. qu. lxxvi. art.* 5). Vel etiam coarctius cum Anglicanorum doctrina Bellarminus, "Adverbia," inquit, "quae dicunt modum existendi corporalem, non dicuntur de Christo in Eucharistia, licet dicantur de ipso, ut in caelo residet: alia vero nihil prohibet dici. Ratio est, quia (ut saepe diximus) non habet Christus in Eucharistia modum existendi corporum, sed potius *spirituum*, cum sit totus in qualibet parte. Itaque dicemus, Christum esse in Eucharistia vere, realiter, substantialiter, ut Concilium recte loquitur, sed non dicemus, corporaliter, id est eo modo quo suapte natura existunt corpora, nec sensibiliter, mobiliter etc. Imo contra dici posse, esse spiritualiter, ut Bernardus dicit in sermone de S. Martino[3]."

[1] "No Adoration is intended, or ought to be done, either unto the Sacramental Bread or Wine there bodily received, or unto any Corporal Presence of Christ's natural Flesh and Blood."

[2] Burnet, *History Reform.* vol. iii. p. 8, Ed. Pocock. Emendatio inserta fuisse videtur ex relatione Joh. Gauden Exoniensis episc. cui auctor fuit Petrus Gunning, postmodum ep. Cicestrensis, dein Eliensis. Vide quae de hac re fusius disseruit Perry, *The declaration on Kneeling*, p. 71.

[3] Bellarmin. *de Euchar.* lib. i. cap. ii. 12.

183. Verba quae in rubrica de praesentia Corporis Christi nunc leguntur, quaeque sola auctoritate Ecclesiae Anglicanae sanciuntur, iam orthodoxae fidei satis congrua esse apparet. Quod si quis in ultimis rubricae verbis haeserit—"*Christi Salvatoris nostri naturale Corpus, et Sanguis, non hic, sed in caelo sunt: naturale enim Christi Corpus in duobus simul locis consistere, salva eius veritate, dici non potest*[1]" —ista conferat quae dicit S. Thomas (*in Sent. iv.* dist. x. 1 ad 5): "Nullum corpus comparatur ad locum nisi mediantibus dimensionibus quantitatis: et ibi corpus est aliquod ut in loco, ubi commensurantur dimensiones eius dimensionibus loci; et secundum hoc Corpus Christi non est nisi in uno loco tantum, scilicet in caelo." Conferantur et verba Concilii Tridentini (*sess. xiii. c.* 3): "Neque enim haec inter se pugnant ut ipse Salvator noster ad dextram Patris in caelis assideat iuxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus." Quid tandem restat ut sensum rubricae orthodoxum esse probemus?

184. Alia quaedam ad eandem haereseos insimulationem ex Articulis Religionis anno 1562 redactis afferuntur. Quorum in xxviii° ita legimus:—"Panis et vini transsubstantiatio in Eucharistia ex sacris litteris probari non potest; sed apertis Scripturae verbis adversatur, sacramenti naturam evertit, et multarum superstitionum dedit occasionem. Corpus Christi datur, accipitur et manducatur in Coena tantum caelesti et spirituali ratione. Medium autem, quo Corpus Christi accipitur et manducatur in Coena, fides est." Per haec autem verba minime negari Realem Praesentiam non magnae molis erit ostendere.

185. Idcirco notandum est quod transsubstantiatio *sacra-*

[1] "The natural Body and Blood of our Saviour Christ are in Heaven, and not here; it being against the truth of Christ's natural Body, to be at one time in more places than one."—Versionem Latinam W. Bright et P. G. Medd hoc loco adhibuimus.

menti naturam evertere hic dicitur; unde facilius conici poterit quo tandem sensu verbum hoc loco accipiendum sit. Quaenam enim *natura sacramenti?* Ex ipsius Ecclesiae Anglicanae Catechismo respondebimus. "Signum externum et visibile gratiae internae et spiritualis nobis datae, ab ipso Christo institutum tanquam medium quo eam accipimus, et pignus quod eam nobis confirmet." In Eucharistia autem pars externa, seu signum visibile, est "Panis et vinum, quae Dominus accipi iussit"; pars interna, seu res significata, est "Corpus et Sanguis Christi, quae a fidelibus in Coena Dominica revera sumuntur et percipiuntur[1]." In Sacramento igitur Eucharistiae iuxta istas definitiones pars est externa et visibilis, seu sensibilis, quam *speciem* vocant philosophi; et pars altera, interna, seu supersensibilis, quae *rei* rationem habeat; haec enim est *res significata* per illud *signum*. Ergo in natura Eucharistiae continentur *species* panis et vini, et *res*, quae est revera Corpus et Sanguis Christi. Ita docet Ecclesia Anglicana de natura Sacramenti. Atqui huic naturae repugnare transsubstantiationem iuxta definitiones Lateranensem et Tridentinam nemo doctus dixerit. Namque substantia Corporis Christi, quae per conversionem totius substantiae panis mirabilem et singularem facta est Res Sacramenti, absque dubio est *res invisibilis et supersensibilis*, quae sub specie panis latens per eam tanquam signum sensibile significatur. Itaque cum definitionibus conciliaribus satis congruunt ea quae in Catechismo Anglicano docentur, excepto quod nulla *substantiae* mentio expressis verbis hic reperitur. Sed cum doctrina Catechismi positiva Articulum, qui negativa tantum exhibet, convenire necesse est. Ergo neque Articulus transsubstantiationem, eo sensu quo eam definiunt Concilia, negat. Vocabulum quidem reicit; nec tamen

[1] "What meanest thou by this word *Sacrament*? I mean an outward and visible sign of an inward and spiritual grace given unto us, ordained by Christ himself, as a means whereby we receive the same, and a pledge to assure us thereof.—What is the outward part or sign of the Lord's Supper? Bread and Wine, which the Lord hath commanded to be received.—What is the inward part or thing signified? The Body and Blood of Christ, which are verily and indeed taken and received by the faithful in the Lord's Supper." Desumpta ex catechismo ad parvulos qui in *Libro Precum Publicarum* continetur.

doctrinam. Porro quaerendum est quo tandem sensu transsubstantiatio sacramenti naturam evertat. Respondemus dolum latere in notione *substantiae*. Juxta sententiam Realistarum, quae tempore Concilii Lateranensis quarti in scholis dominabatur, substantia est vere res supersensibilis quae accidentibus substat, atque ab eis modo saltem supernaturali realiter abstrahi potest. Ideoque abstracta substantia panis manent in propria sua realitate accidentia panis quibus constat species. Unde sequitur ut vere et obiective *realis* sit pars externa sacramenti, quae est panis et vini species[1]. Sed postquam in scholis praevaluerat opinio Nominalistarum, magna subinde et nociva confusio surrepebat. Hi enim docebant nihil aliud *reale* esse nisi quod merum sit individuum. Principium autem individuationis in *haecceitate* posuerunt, quam ex accidentibus pendere liquet. Namque inter *hoc* et *illud* in eadem specie non nisi situ vel habitu vel relatione aliove ex accidentibus distinguitur. Itaque iuxta hanc opinionem substantia realis per accidentia proprie inhaerentia determinatur, neque ab eis nisi mera mentali abstractione segregari potest; imo nec supernaturali quidem modo id ita effici potest ut desinente substantia remaneant in realitate suae naturae accidentia. Inde sequitur ut in hypothesi desitionis substantiae panis desinant esse realiter et accidentia; desinat esse realiter species panis; desinat esse nisi in mero phantasmate tota pars externa sacramenti. Id vero quid est nisi naturam sacramenti penitus evertere?

186. Hoc autem consequens haud statim viris scholasticis in mentem venit, nec satis exploratum fuit *substantiam* Nominalistarum prorsus aliam esse ac *substantiam* Realistarum. Ita sane ad vocabulorum usum homines alligantur ut sensu verborum sensim et pedetentim mutato in miram idearum confusionem non rari incidant. Huiusmodi confusionem putamus causam primariam fuisse disputationum fere omnium de Sacramento Altaris quae inde a saeculo xiv. pacem Ecclesiae vexarunt. Jam enim fluctuante substantiae notione, alii definitionem Lateranensem incerto sensu balbutiabant,

[1] Vide Franzelin. *Tract. de SS. Eucharistiae Sacramento*, Thes. xvi.

alii in novo sensu verborum haesitantes eam tanquam absurdam temerarie reiecerunt. Attamen nec Wicleffio neque adversariis eius, cum ille desitionem substantiae panis ea ratione negaret quod ne Deus quidem de potentia sua absoluta posset facere ut in sacramento altaris essent accidentia sine subiecto, hi vero istam opinionem tanquam haereticam abolendam esse censerent, credimus innotuisse quod non eadem *substantia* sibi in quaestione erat atque ea quam definitio concilii in conficiendo sacramento converti docuerat. Diu ingravescebat ista confusio; atque in Anglia, utpote quae errorum Nominalisticorum feracissima fuit tellus, adeo praevaluit ut in vulgari eloquio vocabulum *substance* idem fere sonet quod *materia sensibilis*. Itaque Angli etiam doctiores per transsubstantiationem intelligebant *materiae sensibilis* mutationem, quae tamen miraculoso quodam oculorum obtentu velata foret. Quam ob rem Cranmer, Ridleius, aliique desitionem substantiae panis strenue negabant, quippe quam desitionem esse putarent totius realitatis in qua constituatur pars externa sacramenti. Hoc enim sensu Cranmer[1] expresse monuit per transsubstantiationem indicari Christi praesentiam in sacramento realem et *sensualem*, et *substantiarum visibilium transsubstantiationem* perstrinxit. Hoc sensu et in Rubrica Nigra asseritur Sacramentalem Panem et Vinum in suarum proprietate *substantiarum naturalium*[2] permanere. Denique et in Articulo quem tractamus transsubstantiationem hoc sensu impugnari evidentius fiet ex ipsius auctoris epistola, quam paulo inferius referemus, qui *crassam* tantum et *sensibilem* praesentiam Christi Corporis excludendam esse testatur.

187. Rationem exposuimus qua negationes Articuli cum doctrina Catechismi positiva de Reali Praesentia conciliari debeant. Restat autem ut dubium quoddam de natura huius Realis Praesentiae diluamus. Notum est etiam Calvinianos quandam asserere in Sacramento Realem Praesentiam, quam tamen in *sola spirituali manducatione* Corporis Christi ponunt. Istamne opinionem sapit hic noster Articulus?

[1] Cranmer's Works, edit. *Parker Society*. Vol. i. p. 326.

[2] "The Sacramental Bread and Wine remain still in their very natural substances."

Facilem inveniemus responsionem. Legantur enim quae in Articulo dicantur. *Corpus Christi datur, accipitur, et manducatur in Coena.* Non *manducari* tantum sed et *dari* et *accipi* asseritur. *Datur* quidem—scilicet ex manu sacerdotis in manum suscipientis. *Accipitur*—scilicet a fidelibus, priusquam manducaverint. Ista vero ut efficiantur, Praesentia Corporis Christi *obiectiva* prorsus requiritur. At dices, *Medium quo Corpus Christi accipitur et manducatur in Coena,* iuxta Articulum, *fides est.* Nec mirum. Namque omissa hoc loco *dandi* mentione liquet actum solius suscipientis hic referri, qui mediante fide per istam *acceptationem* et *manducationem* vere spiritualem non modo rem sed etiam virtutem sacramenti suscipiat. At haec omnia tradit Articulus *tantum caelesti et spirituali ratione* fieri. Optime quidem. Nimirum cum Realis Praesentiae doctrinam explicaverit Card. Franzelinus, "Jam hic modus," inquit, "praesentiae est omnino *analogus modo praesentiae spirituum*; nec alia ratione quam secundum hanc analogiam a nobis concipi aut declarari potest[1]." Idem laudat Lessium qui *modum existendi spiritualem* Corporis Christi in Sacramento disertissime exposuit. Quem sensum adeo Catholicum, reiecto prorsus Calviniano, proprium esse Articuli nostri ex certissimo ipsius auctoris testimonio probare possumus. Namque exstat in Cartophylacio Regni epistola quam de hac re ad Willelmum Cecil scripsit Edmundus Gheast, episcopus Roffensis. "Puto," inquit, "te certiorem factum esse episcopum Gloucestrensem istud adverbium *tantum* in hoc Articulo collocatum aegre tulisse. Eo enim quod dicitur Corpus Christi dari, accipi, et manducari in Coena *tantum* caelesti et spirituali ratione, putat ille dirimi Praesentiam Corporis Christi in Sacramento; cui quidem opinioni ut assentirem mihi innuit, imo iam heri me absentem in hac parte expressius testatus est. Attamen cum eo privatim collocutus equidem plane asserui per vocabulum *tantum* in praefato Articulo non quidem Praesentiam Christi in Sacramento sed tantum *crassae et sensibilis* perceptionis rationem excludi. Dixi enim etsi quis Corpus Christi in manum sumeret atque ore perciperet, idque ut scribunt doctores

[1] *Tract. de SS. Euch. Sacr.* Th. xi. p. 163, edit. 1887.

corporaliter naturaliter realiter substantialiter et carnaliter, nihilominus eum Corpus nec visu nec tactu neque odoratu nec gustu sentire; quapropter ei in hac re me contradicturum esse, atque eo satius quo ipse istum Articulum conscripsissem[1]."

188. Haec hactenus. Ecclesiam Anglicanam nec Realem Praesentiam ignorare, nec quidem vel transsubstantiationem eo sensu quo eam definierunt Concilia reiecisse ostendimus. Porro in presbyteris ordinandis expresse traditur *potestas administrandi sancta Sacramenta*[2], quibus verbis, cum diacono iam antea permissum fuerit ut baptizet, expressius indicatur potestas S. Eucharistiam conficiendi. In Eucharistia autem datur Corpus Christi, quod a fidelibus revera sumitur. Eum igitur, qui Eucharistiam conficit, facere necesse est ut realiter praesens fiat Corpus Christi. Atqui ex confesso solius sacerdotis est Corpus Christi in Eucharistia conficere. Ergo Ecclesia Anglicana ordinari intendit sacerdotes qui Corpus Christi in S. Eucharistia realiter conficiant.

(*d*) *De Sacrificio Missae.*

189. Ad quartam obiectionem proceditur. Quidam dicunt Ecclesiam Anglicanam formaliter negasse in S. Eucharistia sacrificium offerri, ideoque ritum presbyteralis ordinationis de industria ita mutavisse ut notio sacrificandi prorsus exclu-

[1] "I suppose you have heard how the Bp. of Gloucester found himself grieved with the placing of this adverb *only* in this article, 'The Body of Christ is given, taken and eaten in the Supper after an heavenly and spiritual manner only'; because it did take away the presence of Christ's Body in the Sacrament; and privily noted me to take his part therein, and yesterday in my absence more plainly vouched me for the same. Whereas between him and me I told him plainly that this word *only* in the foresaid Article did not exclude the Presence of Christ's Body from the Sacrament, but only the *grossness and sensibleness* in the receiving thereof. For I said unto him though he took Christ's Body in his hand, received it with his mouth, and that corporally, naturally, really, substantially, and carnally, as the doctors do write, yet did he not for all that see it, feel it, smell it, nor taste it. And therefore I told him I would speak against him herein, and the rather because the Article was of mine own penning." State Papers. *Orig. Dom. Eliz.* vol. xii. no. 51. Epistola data est 22 Decr. 1566.

[2] App. V. n. 338.

datur[1]. Unde concludunt in Ecclesia Anglicana nullam exstare intentionem verum sacerdotium conferendi.

190. Jam vero huic obiectioni in superioribus a priori ratione respondimus; nec si quibus erroribus circa potestatem ordinis favisset Ecclesia Anglicana, idcirco ordinationes Anglicanas irritas fore, satis demonstravimus. Nemo enim unquam dubitavit quin Ecclesia, quae in haeresim de S. Baptismo et eius effectibus incidisset, Baptismum validum conferre posset[2]; nec minus quae in haeresim de sacro Ordine et eius potestatibus, de S. Eucharistia, de sacrificio, de sacerdotio inciderit, verum sacerdotium Ecclesia conferre potest. Ideoque in casu quem ponunt obiectores, id solum quaerendum est utrum in ritu ordinationis forma et materia adaequatae adhibeantur, cum intentione saltem generali faciendi quod facit Ecclesia Christi. Hanc autem quaestionem in superioribus disceptavimus.

191. Attamen neque hoc loco contenti erimus quin ea quae nostri de hac re communiter doceant paulo lucidius exponamus.

Dicunt obiectores Ecclesiam Anglicanam formaliter negasse in S. Eucharistia sacrificium offerri. Ubinam haec? Nempe in Articulis Religionis haec doceri asserunt, quorum in xxxi° talia leguntur:—"Oblatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus quam actualibus; neque praeter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio: unde missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur, sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae, pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt et perniciosae imposturae."

192. Quid autem voluerit ista definitio brevi declarandum est. Mira sane et periculosa opinio de sacrificio Eucharistiae saeculo xvi. ingruebat, atque in Anglia vulgo defendebatur, et late propagata fuit; cuius erroris penitus obruendi causa Articulum de quo agitur redactum fuisse ostendemus. Nec quidem negabimus minus caute definitum fuisse, adeo ut in peiorem partem Articulum pervertere malevolentibus vix

[1] Id potissimum asserit Estcourt, *op. cit.* pp. 268 seqq.
[2] Cf. ea quae e Bellarmino deprompsimus, n. 141.

difficile videatur; sed totis viribus contendemus ne ista perversio cum vero sensu verborum confundatur.

193. Constat igitur opinionem fuisse quod Christus Dominus pro peccato tantum originali sacrificium suum in cruce consummaverit; pro peccatis autem actualibus, quae quotidie committuntur, ut satisfieret, sacrificia in Missae sollemniis quotidie offerenda instituerit. Eam doctrinam primus omnium Albertus Magnus in sermone i° de Sacramento Eucharistiae tradere coepit. "Secunda causa," inquit, "institutionis huius sacramenti est sacrificium altaris, contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam; ut sicut Corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, sic offeratur iugiter pro nostris quotidianis delictis in altari, et habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum, super omnia legis sacramenta vel sacrificia pretiosum et acceptum [1]." Opinionem vero, quae tanti nominis umbra delitesceret, haud mirum est in vulgi favorem devenisse, cum praesertim rationem sacrificii vel indoctis admodum intelligibilem perhiberet. Eam igitur in Ecclesia ingravescere haud falsa fuit Lutheranorum querela, quam in confessione Augustana moverunt. "Accessit," inquiunt, "opinio quae auxit privatas Missas in infinitum, videlicet, quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, et instituerit Missam in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus et venialibus." Non quidem haereticis totum Missae Sacrificium radicitus evellere conantibus nos morem gerimus, sed eis praetextum conviciorum ex errore intra Ecclesiam diutius residente suppeditasse ploramus.

194. Nec defuerunt eo tempore viri doctissimi qui nescio qua mentis captione talia tradiderunt. Namque Ambrosius Catharinus, inter doctores Tridentinos eminentissimus, in suo *Speculo Haereticorum* haec habet: "Nonne pro nobis satisfecit Agnus? Utique penitus satisfecit *pro antiquo peccato* et pro omnibus quae insecuta sunt ante susceptum fide baptismum; at post iam datum in baptismo nomen, et professam evangelii legem atque acceptam, si lapsi sumus, non eadem causa est; facta sunt novissima deteriora prioribus, non ulterius relin-

[1] *Opera*, tom. xii. p. 250. Edit. Lugduni, 1651.

quitur hostia pro peccatis ut perfecta renovatio fiat. Est hic opus secunda tabula post naufragium, oportet conteri, confiteri, luere poenas. His enim constat poenitentiae sacramentum. Habemus in hoc advocatum Christum, non pro nobis totum solventem: Christum iustum, non qui omnem causam in se suscipiat, quod semel fecit[1]." Ita vera cum valde dubiis conserit. Idem in commentariis in Epist. ad Hebraeos, cap. x., hanc doctrinam fusius explicat. Ad obiectionem Lutheranorum qui istis verbis innixi, *Ubi est peccatorum remissio iam non est oblatio pro peccatis*, sacrificium missae penitus evellere conabantur, "Respondeo," inquit, "loqui Apostolum de peccatis quae erant sub primo testamento, quale erat originale, et quae inde manabant. Ob eam causam dixit B. Paulus: *Ubi est horum remissio*, horum, inquit, de quibus videlicet dixerat per Ieremiam Dominus: *Dabo leges meas in cordibus eorum, et peccatorum eorum et iniquitatum* (proculdubio praeteritarum, non autem earum quas post inscriptas leges in cordibus commiserint) *non recordabor*. Itaque necesse est manere sacrificium pro culpis, quae sub novo testamento admittuntur post veterum remissionem peccatorum et acceptam gratiam." Mox et haec addit. "Dicimus merito ab Apostolo spretos esse priores sacerdotes tanquam non litantes, et semper sacrificantes; quandoquidem semper orabant et easdem offerebant hostias pro suo proprio et populi peccato. Sed non propterea spernendi sumus nos novi sacrificii sacerdotes et ministri. Non enim idem facimus, qui pro alio genere peccati sacrificamus, et assidue pro novis peccatis quae a nobis committuntur. Illi pro illo peccato nimirum originali; quod si sublatum semel fuisset, non redibat ulterius. Quam ob rem non oportebat, eo semel sublato, amplius pro illo sacrificare. At nos, quoniam pro assiduis peccatis, quae indies committuntur, offerimus sacrificium, nihil prohibet, imo necesse est assidue sacrificare, ac simul assidue litare; ut quae assidue admittuntur assiduo sacrificio expientur. Non enim pro eisdem peccatis semper a nobis offertur sacrificium.... Constituit Dominus...esse sancta sanctorum in caelis, quo

[1] *Speculum Haereticorum*, fo. E. iiii. Cracoviae, 1540.

iam est ingressus summus noster Pontifex medio proprio sanguine, unica illa oblatione, qua factum est ut pro praecedentibus culpis, quae erant sub priore testamento, libatum sit: et ut pro novis quae sub novo emergerent sit translatum illud sacerdotium vetus inutile, et statutum novum pro eis culpis luendis, quae assidue iterantur in novo testamento....Ecce quam apte quadrant omnia. Habemus enim sanguinem et verum sanguinem, quem offerimus ad placandum Deum pro novis culpis: quia sine sanguine non fit remissio; cuius effusio semel facta semper prodesse debet, modo iugiter offeratur.... Oportet enim, ut prosit, illud sacrificium applicari nobis. Applicatur autem respectu praecedentium culparum, quae sunt sub veteri testamento, per baptismum. Respectu autem novarum per sacrificium hoc novum, et per alia sacramenta, quae absque hoc sacrificio non proficerent: sicut nec absque illo Christi sacrificio prodesset baptismus....Ecce igitur quomodo non vacant novi testamenti sacerdotes, sed et ad eum finem sunt necessarii, ut sit et maneat sacerdotium in aeternum, videlicet in hoc testamento aeterno, pro novis culpis." Denique ad verba, *voluntarie enim peccantibus &c.* haec annotat; "Hinc apparet quod pro peccatis sub novo testamento post acceptam salutaris hostiae in baptismo efficaciam commissis, non habemus pro peccato hostiam illam, quam Christus obtulit pro peccato mundi, et pro delictis baptismum praecedentibus. Non enim nisi semel ille mortuus est, et ideo semel dumtaxat hostia illa ad hunc effectum applicatur." Nimirum pro peccatis post baptismum commissis sacrificium Crucis nullam habet efficaciam[1].

195. Quod si theologus spectatae eruditionis talia docuerit, quo tandem temeritatis pervenisse putas parochos incuriosos et concionatores infrenata virorum obscurorum libertate usos? Opiniones huiusmodi in vulgus sparsas fuisse crudissimas testatur Hugo Latimer, Episcopus Vigorniensis, qui in con-

[1] Alia quaedam eodem spectantia notat Vasquez (p. iii. qu. 83. art. i. c. 4) ex Catharini libro *De veritate incruenti sacrificii*, quem librum et Juellus citat in sua *Defensione Apologiae*, anno 1567 edita. Vide libellum *De validitate Ordinum Anglicanorum*, p. 9, ab episcopo Sarisburiensi nuperrime (1894) editum. Vide etiam Dalbus, *op. cit.* p. 27.

cione ad Convocationem cleri Cantuariensis post Missam S. Spiritus die 9° Junii, 1536, habita, in eas talia invectus est. "Fratres," inquit, "volo equidem hoc rectius expendatis et vobiscum consideretis, utrum episcopi nostri et abbates, praelati et parochi, dispensatores fideles hactenus fuerint, annon? Hoc etiam considerate, utrum plurimi ex eis tales adhuc exstent quales esse oporteat? Age nunc, dicite quae moneat conscientia vestra: nonne fuerunt qui nummos Domini tanquam antiquatos aspernantes aut ipsi adulterinos signarent aut ab aliis signatos in usum proferrent; cum aliquando neglecto Dei verbo somnia tantum humana efflarent, populoque persuaderent redemptionem quae a morte Christi proveniat eis dumtaxat lucro esse qui sub Veteri Testamento constituti ante Adventum Eius mortui essent, nunc vero redemptionem et remissionem peccatorum argento emptam et humanitus inventam solam prodesse, neque efficacem esse redemptionem ab ipso Christo pretio acquisitam?"[1] At ille quidem, fortasse dices, et partibus novatorum favebat, et concionator rhetoricus, uti moris est, rem admodum aggravabat. Ecquis autem ei contradixit? Quippe malum erat notius quam quod latere potuit. Nec soli fautores rerum novarum de eo querebantur. Nam post duodecim annos Stephanus Gardiner, Episcopus Wintonensis, qui veteris disciplinae et laudator egregius erat, et postmodum regnante Maria instaurator acerrimus, concione in festivitate S. Petri 1548 habita, contra eos declamavit qui, inducta satisfactionis seu *novae redemptionis* opinione, sacris Missarum sollemniis praeter earum institutionem abuterent[2].

[1] *Latimer's Sermons*, p. 36. Edit. Parker Soc. "Brethren...I pray you, ponder and examine this well, whether our bishops and abbots, prelates and curates, have been hitherto faithful stewards or no? Ponder whether yet many of them be as they should be or no? Go ye tell me now as your conscience leadeth you......was there not some that despising the money of the Lord, as copper not current, either coined new themselves, or else uttered abroad newly coined of others...sometimes in the stead of God's Word blowing out the dreams of men, while they preached to the people the Redemption that cometh by Christ's death to serve only them that died before His coming, that were in the time of the Old Testament, and that now since redemption and forgiveness of sins purchased by money and devised by men is of efficacy, and not redemption purchased by Christ."

[2] Vide Dixon, *History*, vol. iii. p. 263. Concio habetur apud Foxe, *Acts and*

196. Talem in Anglia inveterascentem errorem damnavit Ecclesia per Articulum de quo agitur. Nam primo assertum est Oblationem Christi, in Cruce factam, unicam et perfectam esse peccatorum expiationem; unde illatum est, non quidem sacrificium Missae, sed verbis exactioribus *missarum sacrificia*, corruptione pessima inquinari; nec ea quidem generatim, sed *quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae.* Nimirum non doctrinam in Ecclesia formaliter receptam damnabant auctores Articuli, sed tantum errorem vulgarem quo aeternae Christi Domini redemptioni derogatum est; eaque sola ratione *missarum sacrificia* reiciebant quatenus per ea novam prorsus oblationem, novam, ut ait Gardiner, redemptionem indies effici crederetur. Liquet igitur per hunc Articulum potius defendi quam carpi veritatem sacrificii Eucharistici, quod Christus Dominus, tanquam perpetuam sui oblationem, ipse per ministros sacerdotes usque ad saeculum consummatum in singulis oblationibus continenter facit. Namque in Eucharistia si novum fieret quotidie sacrificium, nova redemptio, proinde non idem numero, ut ait Card. Cienfuegos[1], esset actus sacrificantis in Cruce et in omnibus altaribus; ideoque necessario diceretur aut Christum saepe offerre semetipsum, quod dici vetat Apostolus (*Hebr.* ix. 25), aut Sacrificium Missae, ab illo cruento separatum ac pro eodem substitutum, nec sibi efficaciam alterius arrogare, neque illi propriam sufficientiam permittere. Quod absit ut ore catholico asseratur.

197. Doctrinam igitur catholicam de Sacrificio Missae tantum abest ut Ecclesia Anglicana repudiaverit, ut eam contra perniciosum quemdam errorem[2] defenderit. Porro in

Monuments, pp. 772 seqq. "For when men add unto the Mass an opinion of satisfaction, or of a new redemption, then do they put it to another use than it was ordained for," p. 773 prope finem.

[1] Vide Cienfuegos, *Vita Abscondita*, disp. vi. sect. 2. § 1. n. 24. "Sacrificium Crucis, et Altaris sacrificium, qua hoc secundum complectitur omnia sacrificia, quae per totum orbem ab eius Institutione usque ad mundi finem peracta fuere, peragendaque, sunt unum numero simpliciter, et physice sacrificium completum; et nullatenus plura, nisi mere secundum quid, adhuc materialiter."

[2] Constat istum errorem causam fuisse quod in Libro Precum Publicarum, anno 1552 castigato, omnino omissum fuit vocabulum *Missa* (vulgo, *the Masse*) quod

ritu quo Eucharistia celebratur apud Anglicanos omnia ad sacrificium offerendum necessaria perhibentur; quippe qui toto caelo distet ab eis quibus utuntur ecclesiae protestantes, quae sacrificium penitus evellerunt. Multa quidem antiquis Liturgiis comprobata temporibus funestissimis amissa fateri necesse est. Multa quae ritus et caerimonias sacrorum mysteriorum aptissime ornabant desideramus. Huiusmodi mutationes aut nimio superstitionis metu, aut misero quodam haereticorum advenarum favore, temerarie factas negare non possumus. Restat tamen Ritus in essentialibus partibus adaequatus. Restat oblatio; restat consecratio; restat Corporis Christi per ipsa Dominica verba confectio; plane asseritur realis eiusdem sanctissimi Corporis in Sacramento praesentia; impetrantur pro universa Ecclesia propter merita et mortem Jesu Christi peccatorum remissio, et cetera omnia passionis Eius beneficia[1].

198. Denique si quis de sensu verborum ritualium dubitaverit, perscrutetur ea quae de hac re communius rettulerunt auctores. Matthaeus enim Parker, iam Archiepiscopus Cantuariensis, cum homiliam ab antecessore suo Aelfrico conscriptam typis mandavisset, plane docuit, "Ipsum quidem Christum semel passum, nec minus passionem Eius in missa per mysterium S. Eucharistiae quotidie renovatam esse[2]." Neque id merum erat antiquitatis testimonium; quindecim enim episcopi huius libelli doctrinam subscriptis nominibus

in primo Rituali Anglico adhuc retentum est. Namque hoc vocabulum erronea interpretatione quam exposuimus adeo inquinari visum est, ut eius oblivisci, inquantum poterat, praestaret. Eadem ratione et postmodum denuo castigato Rituali, anno 1662, obiectum fuit isto vocabulo, quod plurimis Anglis nil nisi errorem sapere videbatur. Neque alio sensu Anglos *Missam* et *sacrificium Missae* saepissime perstringere putamus. Attamen liceat nobis hoc factum plorare, cum praesertim tum plurimis causam tantae mutationis ignorantibus occasionem praebuerit contradicendi Ecclesiae, quae nomen Sacrorum Mysteriorum antiquitate illustratum et usu confirmatum abiecerit, tum nostris quoque multae confusionis causa fuerit circa veritatem sacrificii.

[1] Verba ex maiore oblatione iuxta *Librum Precum Publicarum* desumpta.

[2] "Once suffred Christe hymselfe (*Ebrew* x.) but yet neverthelesse hys suffrynge is dayle renued at the masse through mysterye of the holye housell." Homiliam in antiqua vernacula anno 995 conscriptam Parker in modernam transtulit, et edidit. Vide Strype, *Parker*, ii. 503.

confirmarunt. Multi, fatemur, contra dixerunt; non illi quidem veri Ecclesiae Anglicanae defensores, sed potius lues Calviniana, qui in Ecclesia demorabantur, beneficia corripiebant, dignitates sibi arrogabant, nec tamen Ecclesiae regulis serviebant, nec ritibus obtemperabant, nec doctrinae assentiebantur; imo qui post longas discordias ipsam Ecclesiam in brevi triumpho duxerunt penitusque abolere conabantur puritani. Non sane ab illis edisces quid vere docuerit Ecclesia Anglicana. Satius erit libros virorum fidelium et doctorum animo benevolo perpendisse, quos longum esset enumerare[1]. Multa illi contra opinionem Catharinianam vix necessaria invehunt; non paucis eximiis theologis istam opinionem immerito obiciunt; non vero Bossuetium, non Veronium, non multos alios de Sacrificio Missae disserentes reformidant[2]. Namque in S. Eucharistia verum quodammodo offerri sacrificium testantur scriptores Anglicani fere omnes, quamvis id cautius fortasse quam rectius tradant. Nimirum adeo metu perterriti saepius videntur ne in istum errorem novae redemptionis reciderent, ut doctrinam Ecclesiae Romanae suspectam haberent, suam cautelis prolixioribus obscurarent. Audi tamen Andrewes:—"Est in Eucharistia quod Sacrificio Paschatis, sicut memoria figurae, respondeat. Illis dictum est, Hoc facite in mei praefigurationem: nobis, Hoc facite in mei commemorationem. Quatenus illis fuit sacrificium, illatenus et nobis: proprie autem loquendo nec illis nec nobis; namque, ut sensum theologorum exactius referamus, unicum est veri nominis sacrificium mortis Christi, idque semel tantum in Ipsius morte actu consummatum, sed et semper a principio mundi per figuram antea repraesentatum, et per commemorationem semper ad usque saeculi finem postea repetitum. Id quidem solum sacrificium absolutum; omne aliud relativum et repraesentativum ex illius operatione effectum suum habere necesse est[3]." Tandem nostris tem-

[1] Multi referuntur apud *Tracts for the Times*, No. 81; *The Theological Defence of the Bishop of Brechin*, pp. 104 seqq.; Hamilton (Ep. Sarisburiensis) *Charge*, 1867, pp. 125 seqq. (edit. 4).

[2] Palmer, *Treatise on the Church*, vol. ii. p. 463 (edit. 2).

[3] "This is it in the Eucharist that answereth to the sacrifice in the passover,

poribus nec permanet ille metus, neque adeo obscura traditur doctrina sacrificii[1].

II. *Describitur Ordinatio Presbyteralis.*

199. Jam vero dilutis obiectionibus restat ut pauca de ritu Ordinationis Presbyteralis in Ecclesia Anglicana usitato disseramus.

Imprimis autem notandum est in vulgari nostro eloquio inter *sacerdotium* et *presbyteratum* vix posse nisi pluribus verbis distingui. Unum enim vocabulum *priest* tam *sacerdotem* quam *presbyterum* sonat. Etymologice quidem a vocabulo Latino, seu potius Graeco, *τῷ πρεσβύτερος* iuxta phoneticas quas vocant regulas plane derivatur; sensu autem populari non nisi rarius eo refertur. *Sacerdotem* communissime sonat; neque aliud exstat in lingua vernacula vocabulum quod in hac notatione sumatur[2]. Dicas de flaminibus Romanis; nominas *priests*. Rem habeas cum *cohenim* Israeliticis; referuntur *priests*. Pontifex seu *ἀρχιερεὺς* est *high-priest*. Omne sacerdotium hoc uno vocabulo nominatur. Cuius rei causam in promptu est indicare; namque Anglis Christianis cum sacerdotes noti fuerint soli Presbyteri, quibus potestas sacerdotalis praecipuus fuit ordinis character, eo tandem perventum est ut vocabulum *priest* relicto sensu suo etymologico in sensum sacerdotalem plane abiret. Ideoque in libris ritualibus Anglice redditis pro *sacerdote* semper habetur *priest*. Quod si quis de hac voce tanquam aequivoca dubitaverit, utrum sensu Catholico an novo quodam atque

the memorial to the figure. To them it was, Do this in prefiguration of Me; to us it is, Do this in commemoration of Me. By the same rule theirs was, by the same may ours be termed a *sacrifice*; in rigour of speech, neither of them; for (to speak after the exact manner of Divinity) there is but one only sacrifice, *veri nominis* properly so called, that is Christ's death, and that sacrifice but once actually performed, at His death; but ever before represented in figure, from the beginning; and ever since repeated in memory, to the world's end. That only absolute; all else relative to it, representative of it, operative by it." Andrewes, *Sermons*, p. 453, ed. 1629.

[1] Vide Forbes, *Explanation of the Thirty-nine Articles*, pp. 601 seqq.

[2] Id notat Lightfoot, Ep. Dunelm., in dissertatione de ministerio Christiano quam Commentario suo in Ep. ad Philippenses addidit; p. 186, edit. 4.

haeretico rituum castigatores eam posuerint, dubium his duobus testimoniis facile diluemus. 1° In Libro Precum Publicarum, anno 1560 ad usum tum Collegiorum Academicorum tum clericorum Servitium Divinum privatim recitantium Latine reddito, saepissime in rubricis habetur vocabulum *sacerdos*. 2° In eiusdem libri versione Cimbrica, quae intra fines Walliae semper in usu fuit, pro *priest* semper exhibetur vocabulum *offeiriad*, quod ab *offerendo* derivatum nil nisi *sacerdotem sacrificum* significare solet. Ex his liquido apparet Ecclesiam Anglicanam, ea reiecta ministerii notione quae per abusum vocabuli Scripturalis falso *presbyterii* nomine ornaretur, veri sacerdotis seu λειτουργοῦ potestatem presbyteris suis tradendam curavisse[1].

200. Itaque in ritu ordinationis Latine reddendo ordinationem vel *presbyteralem* vel *sacerdotalem* indifferenter praeferri licet. Nos vero iuxta communiorem usum loquendi de *presbyteratu* et de ordinatione *presbyterali* hic dicemus. Lectorem autem rogamus ut Ritum, quem in Appendice rettulimus, sub oculis habeat.

201. Ac primo legatur iterum Praefatio totius libri, cuius testimonio iam antea (n. 129) docuimus eam esse intentionem ritus ut ordines hierarchici qui in Ecclesia semper et ubique fuerunt continuentur. Exinde volvatur *Ritus ad Ordinandos Presbyteros*, nec dubium erit quin Ecclesia veros presbyteros seu sacerdotes solito more facere intendat. Deinde et partes huius ritus in ordine dispositas examinemus. 1° Post Evangelium decantato hymno *Veni Creator*, Archidiaconus Episcopo praesentat omnes qui illo die Presbyteratus Ordinem suscepturi sunt, haec dicens: "Reverende in Deo Pater, praesento tibi hosce praesentes in Ordinem Presbyteratus assumendos." 2° Proclamat Episcopus ut indicium deferat si quis impedimentum allegare possit contra eos quos in sacrum Sacerdotii[2] officium, Deo volente, assumere

[1] Ita Forbes, *op. cit.* p. 626.

[2] Notandum est vocabulo aequivoco *priesthood*, sicut et *priest*, duplicem assignari versionem Latinam, quam viros doctissimos W. Bright et P. G. Medd secuti ita distinguimus: *priesthood* quoad ordinem *presbyteratum*, quoad officium *sacerdotium* vocamus.

statuerit. 3° In Collecta post Litaniam recitata varii ministrorum ordines in Ecclesia divinitus instituti asseruntur, et ordinandi in officium Sacerdotii iam vocati esse dicuntur. 4° Peracto examine recitatur prolixa benedictio ad instar praefationis, quam Episcopus super ordinandos fundit tanquam ad ministerium apostolicum in salutem humani generis institutum vocatos; qua perfecta statim Episcopus cum Presbyteris assistentibus manus imponit super capita singulorum, dum haec verba profert:—*Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt: esto etiam fidelis verbi Dei et sanctorum Eius Sacramentorum dispensator: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* 5° Deinde Episcopus unicuique eorum tradit in manum Biblia Sacra, dicens:—*Accipe potestatem praedicandi verbum Dei, et administrandi sancta Sacramenta, in ista congregatione in qua fueris ad hoc constitutus.* 6° Postea decantato *Credo* usque ad Communionem progreditur, quam ipsi ordinati simul recipiunt. 7° Denique in rubrica provisum est ut si qui diaconi eodem die ac presbyteri ordinandi fuerint, aliae partes rituum diversorum seorsim peragantur, aliae coniunctim disponantur.

202. His tandem perlectis ecquis dubitaverit per hunc ritum intendi ordinationem presbyteralem, qua clerici in vero sacerdotio constituantur? Nunc vero quaestioni de partibus eius essentialibus adeundum est.

203. Jam in superioribus ostendimus ex consensu optimorum theologorum solam materiam ordinationis hierarchicae esse manuum impositionem, formam autem esse verba potestatem ordinis exprimentia, quae neque omnibus Ecclesiis eadem in usu exstant, neque ad certam normam exactius accommodantur. Itaque in ordinationibus nostris constat illam solam essentialem et adaequatam sacerdotii materiam adhiberi, nec nisi de formae valore disputandum est. De valore, inquimus, non quidem absoluto, sed tantum ad proprium ritum relativo: namque relate ad alios ritus non opus erit hanc formam deliberare, neque id concedimus quod auctor Gallicanus Boudinhon nuperrime asseruit, Ecclesiae particulari non amplius competere formam huius sacramenti mutare vel

innovare[1]. Quomodo enim probaveris ita funditus eversum esse ius liturgicum quod episcopi catholici, schismatici, orthodoxi, haeretici, tam diu inconcussum exercuerunt?

204. Formam igitur huius ordinationis nonnulli putant esse orationem benedictoriam, *Omnipotens Deus, Pater Caelestis &c.* qua super ordinandos invocatur gratia S. Spiritus tanquam vocatos *ad idem officium et ministerium in salutem humani generis institutum*, quod sub diversis titulis *Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, Pastores* ad consummationem sanctorum, atque in aedificationem Corporis Christi exercuisse docet S. Paulus, *Ephes.* iv. 11. Illud autem officium et ministerium satis constat nihil aliud esse quam presbyterale et sacerdotale. Post hanc orationem perfectam immediate sequitur manuum impositio, cum verbis quibus eiusdem orationis vis consecratoria unicuique ordinandorum applicetur; quo fit ut materia cum forma saltem moraliter coniunctissime cohaereat.

205. Nobis autem satius videtur pro forma habere verba quae in ipsa manuum impositione proferuntur, *Accipe Spiritum Sanctum, etc.;* quamvis nulla sacerdotii vel presbyteratus expressa mentio ibidem fiat. Namque in his verbis potestatem sacerdotalem per intentionem et implicationem respici facile ostendetur. Intrinsecus enim patet per haec verba conferri potestatem omnia faciendi quae ad Sacramenta dispensanda pertineant. Atqui ex confesso presbyteri seu sacerdotis est haec omnia facere, et praesertim S. Eucharistiam conficere, eiusque sacrificium offerre. Porro potestatem sacerdotalem in Ordine Presbyteratus residentem eam esse fere omnes credunt quam Christus Dominus Apostolis suis per verba in S. Johan. xx. 23 memorata disposuit. Omnis enim potestas sacerdotalis, ut ait Beveregius, iam tunc Apostolis collata est[2]. Ideoque his verbis Christi Domini solemniter adhibitis, manifeste intenditur eiusdem potestatis collatio. Extrinsecus autem huius formae intentio ex eis probatur quae circa ritus reformationem acciderunt. Quae cum de

[1] Vide dissertationem in *Le Canoniste Contemporain; Juin—Août*, 1894.

[2] "All sacerdotal power was now conferred upon the Apostles," Beveridge, Serm. ii. *On the Institution of Ministers*, p. 45.

hac re luculentum testimonium perhibeant, paulo fusius exponemus.

206. Regnante Edwardo VI. plurimi in Angliam advenerunt exules quibus in votis erat Ecclesiam Anglicanam in eandem *reformationis* viam reducere quam ipsi in suis patriis secuti erant. Id praesertim flagitabant, ut penitus aboleretur sacerdotium, utque e ritu ordinationis omnia detruderentur quae Sancti Spiritus collationem postularent. Horum omnium longe praestantissimus fuit Martinus Bucer, Argentoratensis. Lutheranus erat, spectato moderamine, qui viris tam curialibus quam ecclesiasticis pergratus, in Academiam Cantabrigiensem ascitus professor, eruditioni magnopere profuit, ecclesiae non multum nocuit. Is quidem librum composuit *De Ordinatione legitima ministrorum revocanda*, qui propositum suum in ipso titulo prae se fert. Quippe non sacrum Ecclesiae ministerium, non sacerdotium, non verum episcopatum retineri, sed ordinationes quasdam Apostolicas, quas iam pridem desuetas fuisse somniabat, instaurari voluit. Tres ministrorum ordines permisit; non tamen veros nec inter se vere distinctos. Unam dumtaxat formulam ordinationis pro omnibus ordinibus exhibuit, quae his verbis enuntiatur:—"Manus Dei omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti sit super vos, protegat et gubernet vos, ut eatis, et fructum vestro ministerio quamplurimum afferatis, isque maneat in vitam aeternam[1]." Hanc vero formulam ita explicat, ut omnes ministri aequo iure *presbyteri*, quamvis in tres ordines administrative dispositi, per eam ordinari intelligantur. Inter primi ordinis presbyterum et secundi ea tantum ratione distinguit, "ut cum ordinatur aliquis Superintendens, id est Episcopus, omnia aliquanto pluribus et gravius gerantur et perficiantur quam cum ordinatur presbyter secundi ordinis, vel tertii. Ita etiam fit nonnullum discrimen inter ordinationem presbyterorum secundi et tertii ordinis."

207. Hunc tandem librum manibus versabant castigatores ritus Anglicani, qui multum auctoritatis Bucero tribuebant; nec tamen eius consiliis in hac re obtemperaverunt. Librum Ritualem ab isto Buceriano prorsus abhorrentem

[1] Buceri *Scripta Anglicana*, p. 259.

confecerunt. Quinetiam rationem operis perinde alienam addiderunt: non illi quidem *legitimam ordinationem ministrorum* temporibus importunis lapsam revocare intendebant, sed Sacros Ordines in Ecclesia semper usitatos in posterum conservandos curabant; diversas pro gradibus hierarchiae ordinationes praebuerunt; non unicam Buceri formam, sed aliam alio in ordine conferendo posuerunt; non verba nova novas potestates exprimentia, sed ea quae ex institutione Christi potestatem sacerdotalem exprimerent, quaeque Ecclesia in conferendo sacerdotio iam plurimos annos usurpasset[1]. Quorsum haec fecerunt? Nempe ut, reiectis Lutheranis aliisque haereticis de ministerio opinionibus, verum Ecclesiae sacerdotium retinerent, ac ritu valido continuarent[2].

208. At, inquiet aliquis, formae ratio est ut potestatem ordinis collati exprimat. Sed hic nulla fit expressa mentio sacerdotii; nec ante annum 1662 huiusmodi verba suppeditabant. Ergo per annos plus centum forma fuit invalida?[3] Non haec formidamus. Nomen certe non habetur: res adest. Toto ritus contextu, caerimoniis adhibitis, imo ipsis formae verbis, actionem ad conferendum sacerdotium determinatam esse demonstravimus. Visne plura? Aliae sunt ordinationes pro validis agnitae, quae per formam non, ut nostram, tot verbis et circumstantiis, sed sola generali intentione determinatam conficiuntur. Abyssini enim, neglecto suo ritu antiquo, qui adhuc in libris ritualibus sicut littera mortua legitur, presbyteratum per simplicem impositionem manuum cum solis verbis *Accipe Spiritum Sanctum* iam plurimos annos contulerunt, quam formam in nullo eorum libro rituali inveniri, nec nisi ex mero usu ad hoc determinatam esse testantur morum illius gentis indagatores. Ordines autem hoc mutilo ritu collatos, nisi in casibus particularibus ob

[1] Verba priora formae Anglicanae in Pontificalibus Latinis inde a saec. xii. ritui Presbyteralis Ordinationis assignata sunt; nec vero ibidem iuxta communiorem sententiam formae rationem habent.

[2] Hinc facile respondetur Estcourto qui fingit (*op. cit.* c. vi.) ritum Anglicanum ad mentem Lutheranorum fuisse redactum. Quid enim auctoribus id volentibus obstabat quominus Buceri consilia sequerentur?

[3] Raynal, *The Ordinal of King Edward VI.*, pp. 102, 129. De additamentis anni 1662 vide supra, n. 112, in nota.

summam incuriam, qua caerimonia saepius adhibetur, de formae et materiae applicatione dubitatum fuerit, nemo non acceptat[1]. Hisce vero acceptatis vel etiam tanquam pro dubio relevando consideratis, ecquis tandem ordinationes Anglicanas reicere audebit? Non nos quidem ordines per hanc solam locutionem *Accipe Spiritum Sanctum* collatos valere asserimus. Ista verba proferunt episcopi nostri non sola, nec nuda manuum impositione comitante, sed una cum aliis potestatem ordinis exprimentibus, sed in ritu solemni inclusa, sed tot circumstantibus indiciis, praefatione, precibus, caerimoniis, usu, scopo, ad sacerdotium conferendum determinata. Formam ita determinatam ad ordinationem Presbyteralem valide conficiendam sufficere asserimus.

209. Hanc igitur absolvimus quaestionem. Obiectiones diluimus quibus impugnatur in hac re intentio Ecclesiae Anglicanae: eiusdem Ecclesiae ritum pro ordinandis presbyteris formam et materiam adaequatas continentem exposuimus: sacerdotium quod nobis cum omni Christianitate saeculi xvi. commune fuit integrum continuari ostendimus. Ergo nec defuerunt subiecti episcopatus iuxta sententiam strictiorem capaces, nec fideles in Anglia demorantes bonorum inaestimabilium privati sunt quae iuxta Novae Legis dispensationem ex ministerio sacerdotali dependent.

[1] De Ordinationibus Abyssiuis in hui. op. Appendice vi. tractavimus. Notandum est his acceptatis totam cadere quaestionem quam Boudinhon in *Le Canoniste Contemporain*, Juin, 1894, flagitat, utrum ordinationes iuxta ritum ab ecclesia haeretica vel schismatica mutilatum confectae valere possint. Vide supra, n. 107, in nota.

CAP. VI.

De Praxi S. Ecclesiae Romanae.

210. His omnibus perpensis, quaestiones de ordinationibus Anglicanis historicas vel theologicas quae intrinsecus oriuntur iam absolutas putamus. At nova restat obiectio, quae si probata fuerit, haec omnia quae in superioribus disputavimus conclusiones mere academicas et nugatorias inducere aliqui reclamabunt. Namque assertum est in praxi Sanctae Ecclesiae Romanae ordinationes Anglicanas tanquam nullas atque irritas constanter haberi; clericosque Anglicanos tanquam meros laicos absolute reordinari. Quid ergo? *Roma locuta est, causa finita est.* Proinde quid opus disputato?

211. Lentius abeas, lector benevole, rogamus. Namque de his quoque aliquid nobis respondendum est. Non nos quidem S. Ecclesiam Romanam—magnum et venerabile nomen—ita flocci facimus, ut eius iudicium in tali re prae contemptu negligamus; nec tamen ei tantum auctoritatis tribuimus, ut huiusmodi quaestio rationibus tam historicis quam theologicis adeo vexata per solam illius praxim temerarie dirimatur. Non ita verba S. Augustini interpretamur. Attamen huius operis scopo vix competit disputationes agitare de S. Ecclesiae Romanae auctoritate et privilegiis. Libentius fatemur permagni interesse tantae tam venerabilis Ecclesiae non modo iudicium informatum, sed etiam praxim ordinariam examinare. Quaenam vero ista praxis? Namque iudicium informatum de hac re credimus nullum exstare. An certis ac definitis rationibus praxis innititur? An potius ex maiori cautela tantum dependet? Hanc rationem praeferre

videtur vir doctissimus Ludovicus Duchesne qui de hac re brevem quandam animadversionem nuperius edidit[1]. Paucis exposita quaestione cum responsione cui faveat, "Sequitur," inquit, "ut ordinationes Anglicanae pro validis aestimari possint. Scio equidem opinionem contrariam Romae non quidem ratione theoretica confirmatam, sed usu in praxim traductam esse, adeo ut ministri ad nos conversi reordinari debeant antequam ad exercitium suorum ordinum admittantur. Atqui Ecclesiam Romanam cum fidelibus scrupulosis cautius agere oportet, nec dubium est quin plerique catholici, quae nunc est eorum opinio, a sacramentis abhorrerent quae a ministro Anglicana tantum ordinatione promoto confici comperissent. In tali re convenit exaggerare cautelas." Sane quaestionem non dirimit huiusmodi praxis. Nihilominus et hanc accuratius expendisse conveniet, quae sit, quae fuerit, qua tandem ratione innitatur.

I. *De his quae temporibus Marianis gerebantur.*

212. Nec vero ea tantum quae nunc temporis Romae aguntur necesse erit expendere. Imo potius ea quae saeculo xvi. iussu et auctoritate Santae Sedis in Anglia gerebantur in testimonium vocari debent. Eo enim tempore non raris et profugis contingebat iudicium Ecclesiae Romanae subire, sed tota Ecclesia Anglicana, post longum dissidium ad Romanae amicitiam reversa, Sanctae Sedis iudicio non multos annos sese absolute submisit. Namque mortuo Edwardo VI. anno 1553 regnum excepit Maria, quae animo erga S. Sedem devotissimo dissidium aegre ferebat. Nec tamen eam unitatis redintegrationem quam semper optabat statim efficere potuit.

[1] Vide *Bulletin Critique*, Juillet, 1894. "La suite de tout cela, c'est que les ordinations anglicanes peuvent être considérées comme valides. Je sais qu'à Rome l'opinion contraire est, non pas imposée en théorie, mais traduite en pratique, et que les ministres convertis sont réordonnés avant d'être admis à continuer leurs fonctions dans l'Église catholique. Mais l'Église romaine a le droit et le devoir de tenir compte des scrupules de ses fidèles. Dans l'état actuel de l'opinion, peu de catholiques accepteraient les sacraments d'un ministre qu'ils sauraient n'avoir reçu d'autre ordination que celle de l'Église anglicane. En ces matières, il est naturel de multiplier les garanties."

Imo et ipsa iuxta morem Henrici VIII. patris sui omnia primo gerebat, tituloque *Supremi Capitis Ecclesiae Anglicanae*, urgentibus consiliariis, utebatur. Nempe cautius progredi oportebat. Nec tamen consilio et auctoritate S. Sedis regina carebat. Statim de regno excepto certior factus Julius III. nuntium extraordinarium Commendonum, postea Cardinalem, secreto misit, qui de statu regni et Ecclesiae cum ipsa consuleret[1]. Nec multo post Card. Polum Legatum a latere in Angliam misit, qui tamen, ne quid officeret actio praematura, in Belgica provincia aliquot menses demoratus epistolari tantum commercio cum episcopis Anglicanis et regina utebatur. Tandem in patriam reversus unionem consummavit, atque Ecclesiam Anglicanam cum Romana, in festivitate S. Andreae anno 1554, formaliter reconciliavit[2].

213. Itaque istis temporibus multa ex auctoritate et consensu S. Ecclesiae Romanae tum ante Legati adventum tum post reconciliationem perfectam gerebantur, quae ordinationum Anglicanarum valorem necessario respicerent. Haec nobis erit curae paucioribus fortasse quam pro rei gravitate expendere.

A. *De his quae ante adventum Cardinalis Legati acta sunt.*

214. Maria igitur regnum excipiente episcoporum et presbyterorum (ut inferiores omittamus) ministerium exercentium tres erant classes, quas accurate distinguere necesse est. Erant 1° qui ante dissidium promoti fuissent, 2° qui post dissidium iuxta vetera Pontificalia sacros ordines suscepissent, 3° qui nuperius iuxta ritus Anglicanos castigatos ordinati et consecrati fuissent. *Primae classis* Episcopi superfuerunt quattuor tantum, Voysey Exoniensis, Tunstall Dunelmensis, Gardiner Wintonensis, Cranmer Cantuariensis; quorum Voysey iam ante aliquot menses sedem vi coactus resignaverat, Gardiner et Tunstall civili potestate non sine

[1] Historiam huius rei narrat Pallavicinus *Vera Conc. Trid. Hist.* l. xiii. c. 7, § 5. Cf. litteras Julii III. ad Polum in *Poli Epistolis*, pars iv. p. 111.

[2] Vide *Descriptionem Reductionis Angliae*, in *Poli Epistolis*, pars v. p. 303.

consensu Metropolitani detrusi erant. *Secundae classis* tredecim Episcopi adhuc sedes retinebant; tres autem, Bonner Londiniensis, Hethe Vigorniensis, Day Cicestrensis, amoti erant, Hugo Latimer sedem suam libera resignatione vacantem reliquerat. *Tertiae classis* sex erant sedibus praefecti; quorum Ponet et Scory in sedes Wintonensem et Cicestrensem intrusi erant, Coverdall, Hooper, Taylor, Harley, in sedes Exoniensem, Glocestrensem, Lincolniensem, Herefordensem, iure vacantes successerant. Presbyterorum autem *primae classis* aliquot millia post viginti annos superfuisse verisimile est. *Secundae classis* absque dubio plurimi, *tertiae* non pauci ministerio fungebantur.

215. His ita dispositis nostrum erit inquirere quo tandem modo cum diversis ordinatorum classibus actum fuerit; atque id maximi refert dignoscere, utrum inter eos qui tertiae classis forent ceterosque ita distinctum fuerit ut illorum ordinationes pro invalidis haberentur.

216. Continuo regina detrusos episcopos reduxit, intrusos depulit. Neque hoc aliam ob causam quam ipsam intrusionem fecit, neque inter personas distinguebat; sed et Ridleium, qui secundae classis erat, et Ponetum, Coverdallum, Scoraeum, qui tertiae classis erant, aequo iure destituit[1]. Alios quattuor secundae classis episcopos potestas mere civilis per commissionem regiam a sedibus mox amovit. Audi enim quid regina dicat episcopis commissionariis: "Ad quae omnia et singula facienda expedienda et finienda nos tam auctoritate nostra ordinaria quam absoluta ex mero motu certaque scientia vobis et tribus vestrum potestatem et auctoritatem et licentiam concedimus et impertimus[2]." More satis Tudorico dictum! Episcopos autem eiciendos regina ita describit: "Robertum Archiepiscopum Eboracensem, Robertum Meneviensem, Johannem Cestrensem, et Paulum Bristoliensem episcopos, aut

[1] Resignationem Voyseii Exoniensis tanquam vi coactam Maria agnoscere noluit, ideoque Coverdallum tanquam intrusum pepulit. Ridley intrusus erat in sedem Londiniensem, Ponet in Wintonensem, Scory in Cicestrensem. Attamen quaestio admodum difficilis vexatur, utrum istae sedes iure vacarent per deprivationem priorum incumbentium, necne. Responsum negativum hoc loco pro forma admittimus, ne in quaestione subsidiaria moremur.

[2] Wilkins, iv. p. 119; Rymer, xv. p. 370.

certe pro talibus se gerentes." Hi omnes iuxta vetera Pontificalia consecrati sunt[1].

217. Restabant tertiae classis tres episcopi, quos regina depellere voluit. Erant Johannes Taylor Lincolniensis, Johannes Hooper Glocestrensis, Johannes Harley Herefordensis. Hi autem regiae potestati vel ampliore modo subiecti erant, cum episcopatus suos per regiam electionem iuxta litteras patentes Edwardi VI., "durante vita sua naturali *si tam diu se bene gesserint*," accepissent. Aliam igitur commissionem contra hos regina direxit[2], quae hoc modo electionis recitato, variisque causis amotionis allegatis, ne verbum quidem de eorum consecratione tanquam invalida vel etiam dubia protulit. Attamen haec sane causa primaria proferri debuisset, si quid de tali invaliditate compertum fuisset. Permagni igitur interest silentium huius instrumenti animadvertere. Dices fortasse reginam asserere eos episcopos tantum *appellari*. Id vero nihil esse ad rem facile ostendemus. Nam primo et alios secundae classis, quos modo rettulimus, *episcopos, aut certe pro talibus se gerentes* eadem ratione regina perstrinxerat. Deinde et omnes episcopi in dispensationibus Card. Poli legatinis eodem stylo describuntur. "Thomae Thirlby Episcopo Norwicensi *appellato*" aliisque consimiliter litterae diriguntur[3]. Quippe et haec verba et ista, in eadem commissione prolata, de *episcopatibus praetensis*, valorem consecrationis nullo modo respiciunt, sed more ecclesiastico non nisi *dubio iure obtentum* episcopatum indicant. Quod si quis dixerit unum ex his iuxta Registrum Cantuariense deprivatum fuisse *ob nullitatem consecrationis eius et defectum tituli quem habuit*

[1] Rob. Holgate consecratus est in Landavensem 1537, translatus in Eboracen. 1544; Joh. Birde in Cestren. et Paulus Bushe in Bristolien. consecrati 1542; Rob. Ferrar in Menevien. 1548. Stubbs, *Reg. Sacr. Ang.* ad loca.

[2] Habetur in Anglico sermone apud Wilkins, iv. p. 118. Excerptum ex ea hic referimus: "John Taylor, naming himself Bishop of Lincoln, John Hooper, naming himself Bishop of Worcester and Gloucester, John Harley, Bishop of Hereford, having their said several pretended Bishopricks given them by the letters patent of our late deceased brother King Edward VI., to have and to hold the same during their good behaviour, with the express clause *quam diu se bene gesserint* &c." Scribi debuit, *si tamdiu si bene gesserint*; vide supr. n. 50.

[3] Plurimas huiusmodi dispensationes e Poli *Registro Expeditionum* citat Estcourt, pp. xl, seqq.

a rege Edw. VI. per litteras patentes cum hac clausula, dum bene se gesserit[1], respondemus hanc *nullitatem* fuisse tantum *quoad exercitium*, de qua re luculentum testimonium inferius (n. 230) proferemus.

218. Alii duo episcopi amoti sunt; Barlow per liberam resignationem[2], Cranmer per longum processum Romae expeditum, neque ante mensem Februarium 1556 absolutum[3]. Reliqui in sedibus suis manebant; inter quos et Goodrich et Wharton, qui novos ritus in Parliamento defenderant (*supr.* n. 106). Imo et ceteros, triennio iam elapso, eisdem ritibus ad sacros ordines conferendos saepius usos esse plane necesse erat. Nemini autem ex eis ordinationes huiusmodi obiectae sunt. Omnes eorum actus in regendis Dioecesibus tot annos confecti,—institutiones, dispensationes, omnia huiusmodi pleno iure constabant, neque exceptae sunt ordinationes. Qui fit ut circa has nihil agitatum fuerit, nisi quod validae haberentur? Argumentum e silentio in tali re valde probabile videtur.

219. Hactenus de episcopis: venimus ad presbyteros. Hi quidem per triennium iuxta ritum reformatum ordinati fuerant. Numqui igitur in statum laicalem reiecti sunt? Numqui reordinati? Huiusmodi casus nulli afferuntur. Nec desunt testimonia. Exstant acta publica; exstant Episcoporum Registra quamplurima. Explorentur ordinatorum annis 1550–1553 nomina; afferatur si quis postea sacros ordines tanquam merus laicus susceperit. Nempe id iam dudum factum est; neque huiusmodi casus invenitur[4]. Porro contra multos in variis delictis deprehensos eo tempore severius agebatur; multique haereseos, non pauci bigamiae

[1] Burnet, *ed.* Pocock, vol. ii. p. 441.

[2] Vide tamen supr. n. 80.

[3] Attamen postquam Cranmer laesae maiestatis condemnatus erat 13 Nov. 1553 capitulum Cantuariense iurisdictionem metropoliticam tanquam sede vacante continuo exercebat. Vide supr. n. 7.

[4] Solito ineptius ad hoc respondet Estcourt, *op. cit.* p. 50, nullam *reordinationis* in Registris mentionem fieri, cum scilicet Ecclesia proprie loquendo non *reordinat*, (quod sacrilegium foret) sed absolute *ordinat* eos qui ordinationem irritam susceperint. Atqui nos non nisi nomina eorum qui hoc modo simpliciter ordinati fuerint flagitamus. Ne unum quidem affertur.

causa deprivati memorantur: propter ordinationem invalidam nemo. Iterum testimonio est actorum silentium.

220. Attamen tertiae classis ordinationes non prorsus negligebantur, sed in actis obscurius indicantur, neque alia ratione perstringuntur quam ut irregulariter illiciteque confectae fuisse videantur. Namque in litteris ad Episcopos, die 4° Martii 1554 scriptis, regina non certe inscio Legato Articulos quosdam ad instruendum edidit, quorum in xv° ita legitur:—"Item eos qui hactenus ad ordines quoscumque iuxta novum ordinandi modum promoti fuerint, cum non vere ordinati sint, episcopus dioecesanus, si quos alias idoneos et aptos compererit, ea quae deerant supplendo ad ministerium exsequendum pro arbitrio admittat[1]." Paullo obscurius dictum; tamen ex his nemo colliget illas ordinationes pro invalidis haberi; namque ordinationi invalidae nihil *suppleri* potest, sed integra ordinatio aut absolute aut, si quid dubii sit, sub conditione *repeti* debet. Sub eodem tempore Bonner in visitatione dioeceseos Londiniensis Articulos ad inquisitionem promulgavit, quorum in xxix° rogat, "Utrum ex eis qui schismatice et contra antiquum morem et consuetudinem Ecclesiae Catholicae ordinati fuerint, aut illicite et schismatice iuxta morem nuperrime innovatum nuptias inierint, aliqui nondum ab Ordinario reconciliati atque admissi aut missas aut aliud quoddam servitium divinum, intra quamlibet huius urbis vel dioeceseos curam locumve, celebraverint aut dixerint[2]?" Ex his apertius liquet Bonnerum intendisse ut ei qui iuxta ritum Edwardinum sacros ordines suscepissent non quidem *reordinarentur*, sed

[1] "Item, touching such persons as were heretofore promoted to any orders after the new sort and fashion of orders, considering they were not ordered in very deed, the Bishop of the diocese, finding otherwise sufficiency and ability in those men, may supply that thing which wanted in them before, and then, according to discretion, admit them to minister." Dixon, *History*, iv. 134.

[2] Habetur apud Wilkins, iv. 107; Burnet, *edit.* Pococke, vol. v. p. 399. "Whether any such as were ordered schismatical, and contrary to the old order and custom of the Catholic Church, or being unlawfully and schismatically married, after the late innovation and manner, being not yet reconciled nor admitted by the ordinary, have celebrated or said either mass or other divine service, within any cure or place of this city or diocese?"

ab Ordinario tantum *reconciliati* ad sacra peragenda admitterentur[1].

221. Huiusmodi reconciliationes presbyterorum sine ulla sollemnitate, ut videtur, effectae in actis non memorantur. Aliam vero, quae dignitatem episcopalem respiceret, idem Bonner per instrumentum in Registro[2] redactum effecit. Solus ex episcopis qui iuxta ritum Edwardinum consecrati erant Johannes Scory novis rebus sese accommodavit. E

[1] Plane impossible est id quod Estcourt (*op. cit.* p. 50) vult, hunc Articulum eos respicere qui post dissidium iuxta *ritum antiquum* ordinati fuissent, neque adhuc *Ecclesiae Romanae* reconciliati forent; namque 1° futile erat rogare utrum aliqui huiusmodi essent, et 2° ipse Bonner nondum Ecclesiae Romanae formaliter reconciliatus erat, et 3° illi nequaquam *contra antiquum morem et consuetudinem Ecclesiae Catholicae* ordinati erant. Vocem *schismatice* id respicere putamus quod post Bonneri amotionem anno 1549 dioecesis episcopo *intruso* subiecta erat, cuius administrationes pro schismaticis haberentur. Juxta modum loquendi Estcourtianum constat etiam hos ipsos Bonneri actus mere schismaticos fuisse.

[2] Registrum Bonneri, fo. 347. "Edmundus, permissione Divina Londonensis Episcopus, universis et singulis Christifidelibus ad quos praesentes litterae nostrae testimoniales pervenerint; ac eis praesertim quos infra scripta tangunt, seu tangere poterint quomodolibet in futurum, salutem in Auctore salutis et fidem indubiam praesentibus adhibere. Quia boni Pastoris officium tunc nos rite exsequi arbitramur, cum ad exemplar Christi errantes oves ad caulam Dominici Gregis reducimus, et Ecclesiae Christi, quae redeunti gremium non claudit, restituimus; et quia dilectus Confrater noster Joannes nuper Cicestrensis Episcopus in Diocesi et iurisdictione nostris Londonensibus ad praesens residentiam et moram faciens; qui olim laxatis pudicitiae et castitatis habenis, contra Sacros Canones et Sanctorum Patrum decreta ad illicitas et prohibitas convolavit nuptias, se ea ratione non solum Ecclesiasticorum Sacramentorum pertractandorum omnino indignum, verum etiam a publica officii sui pastoralis functione privatum et suspensum reddens; transactae licentiosae vitae valde poenitentem et deplorantem plurimis argumentis se declaravit, ac pro commissis poenitentiam alias per nos sibi iniunctam salutarem aliquo temporis tractu in cordis sui amaritudine et animi dolore peregit, vitam hactenus degens laudabilem spemque faciens id se in posterum facturum, atque ob id ad Ecclesiasticae ac Pastoralis Functionis statum, saltem cum quodam temperamento, iustitia exigente, reponendus; hinc est quod nos praemissa ac humilem dicti Confratris nostri petitionem pro reconciliatione sua habenda et obtinenda considerantes, eius precibus favorabiliter inclinati, eundem Confratrem nostrum ad publicam Ecclesiastici Ministerii et Officii sui Pastoralis Functionem et Exsecutionem infra Diocesim nostram Londonensem exercendam, quatenus de iure possumus et absque cuiusque praeiudicio, restituimus rehabilitavimus et redintegravimus, prout tenore praesentium sic restituimus rehabilitamus et redintegramus, Sacrosanctae Ecclesiae clementia et Christiana charitate id exigentibus. Vobis igitur universis et singulis supradictis praefatum Confratrem nostrum sic ut praemittitur

sede Cicestrensi extrusus Londinium refugit, ibique moratus a Bonnero rehabilitationem haud frustra petiit. Namque ad Officii Pastoralis exsecutionem restitutus, pro vero Episcopo acceptus, atque ad munera episcopalia intra dioecesim Londiniensem formaliter admissus est. Sunt qui hanc restitutionem ita interpretari conati sint, ut per eam non nisi *presbyteralium* functionum exercitium permitti ostendant. Sed Bonner Scoraeum *Episcopum* vocat, deinde *Confratrem*, cuius vocabuli usum id temporis coepiscopis proprium fuisse constat tum ex Registris ipsius Bonneri et Poli aliorumque praesulum, tum praesertim ex locutione qua Bonner Polum certiorem fecit de Synodi Provincialis convocatione; "Omnes et singulos," inquit, "Confratres nostros Episcopos infra Provinciam vestram Cantuariensem constitutos citavimus[1]." Necnon Scoraeo permissum est ut non modo *Ministerii Ecclesiastici*, quod sacerdotalia tantum officia referre posset, sed etiam *Officii Pastoralis* functionem exsequeretur. Hoc vero, cum praesertim cura animarum parochialis nequaquam ei commissa fuerit, nihil aliud esse potuit quam munus episcopale quod intra dioecesim tanquam Bonneri coadiutor impenderet.

222. Contra hoc tam apertum testimonium duas tantum obiectiones affert Estcourt (*op. cit.* p. 38); namque id flocci facimus quod adulterinum esse instrumentum Registro insertum insinuat. Obicit primo Scoraeum, si vere episcopus foret, Bonnero subiectum non fuisse; unde conicit eum tanquam *Episcopum* non esse restitutum. Respondemus eum id temporis a sede sua extrusum neque iurisdictionem actualem habentem et Londinii, ut patet per ipsum instrumentum, morantem, iurisdictioni Bonneri iure domicilii subiectum fuisse; id quod ipse Bonner plane asserit. Secundo obicit Bonnero non competiisse nisi clericos infra dignitatem episcopalem constitutos reconciliare, ipsique Legato reser-

restitutum rehabilitatum et redintegratum fuisse et esse ad omnes effectus supradictos significamus et notificamus per praesentes sigillo nostro sigillatas. Dat. in Manerio nostro de Fulham die 14 mensis Julii Anno Dom. 1554, et nostrae Transl. Anno 15."

[1] Cf. *Registrum Bonneri* in foliis 351, 392, 394, 397, 408, 437; *Registrum Poli Cantuar.* in foliis 395, 419, 437 &c.

vatam esse episcoporum reconciliationem. Citat enim (*App.* xiv.) epistolam Thomae Goldwell[1] ad Ricardum Thornden Episcopum Dubrensem in qua putat huiusmodi reservationem referri, et notat omnes dispensationes pro episcopis ab ipso Legato actu expeditas fuisse. Concludit Scoraeum a Bonnero tanquam merum presbyterum rehabilitatum fuisse. Respondemus in ista epistola nihil huiusmodi assertum esse; deinde illas dispensationes a Polo expeditas ad reconciliationem cum S. Sede perfectam spectare, quae etsi nondum effecta esset tamen et Bonner et ceteri functiones suas episcopales et iurisdictionem ordinariam inconcussa fide exercebant[2]. Quomodo autem negas Bonnerum id facere potuisse, quod eum actu fecisse certis testimoniis demonstratum est? Nec nos quidem de valore huius rehabilitationis disputamus; factum tantum adducimus, quo appareat Bonnerum consecrationem Scoraei pro valida agnovisse. Nec tamen verisimile est eum absque notitia et consensu Legati talia fecisse. Non quidem ab ipso Legato postea dispensatum est cum Scoraeo perinde ac cum ceteris episcopis. Sed causa patet. Nempe post aliquot menses solum mutavit, neque ante annum 1559 in Angliam rediit. Attamen eum ad munera episcopalia peragenda mense Julio 1554, tanquam valide consecratum, restitutum fuisse pro certissimo habemus.

B. *De Facultatibus Legati.*

223. Tandem ad ipsum Cardinalem Legatum eiusque actus pergamus. Ac primo facultates quas per litteras R. Pontificis ad legationem exsequendam recepit accuratius expendere praestabit[3]. In prima quidem Bulla legationis nihil provisum erat de ordinationibus post dissidium confectis[4]; quapropter ne in hac parte auctoritas S. Sedis ei deesset, Breve die 8° Martii 1554 expeditum fuit[5], in quo

[1] Tunc Polo a secretis, postmodum episcopus erat Vigorniensis.

[2] Non ante mensem Febr. 1555 cum ipso Bonnero dispensatum est. *Registr. Expedit.* vol. i. fo. 113 b.

[3] In Appendice vii. huius operis habentur.

[4] Estcourt, *op. cit.* p. 41.

[5] In litteris pro facultatibus concedendis (Burnet, *ed.* Pococke, vol. vi. p. 361) Pole citat litteras Pontificis "tam sub plumbo quam in forma brevis expeditas."

post recitatam facultatem agendi erga clericos omnes tam praelatos quam inferiores talia leguntur: "Necnon erga alias personas in singulis litteris praedictis quovismodo nominatas, ad te pro tempore recurrentes vel mittentes, etiam circa ordines quos nunquam aut male susceperunt, et munus consecrationis quod eis ab aliis Episcopis vel Archiepiscopis etiam haereticis et schismaticis aut alias minus rite et non servata forma Ecclesiae consueta impensum fuit, etiam si ordines et munus huiusmodi etiam circa altaris ministerium temerarie exsecuti sint."

224. Jam his verbis distinguuntur inter *Ordines* generatim aut (i) *male* aut (ii) *nunquam* susceptos; deinde et inter *Episcopos* aut (iii) *ab haereticis et schismaticis*, aut (iv) *absque forma Ecclesiae consueta* consecratos. Porro haec omnia nil nisi dispensandi potestatem respiciunt; ideoque apertum est referri defectus et irregularitates super quibus dispensandum erat cum eis qui post dissidium ordinati fuissent. Quaerendum est igitur utrum inter hos ordinati iuxta novos ritus numerari debeant.

225. (i) Ac primo, quinam fuerunt ordines qui *male suscepti* erant? Indubie respondendum est ad mentem S. Sedis ordines post dissidium quocunque ritu collatos omnes fuisse *male susceptos*. Ergo ordines iuxta novos ritus collati neque hisce verbis excipiuntur nec sensu necessario includuntur.

226. (ii) Dein de ordinibus *nunquam susceptis* quaerendum est. Qui tandem isti? Putat Estcourt (*op. cit.* p. 43) his verbis respici eos qui nullis ordinibus susceptis sacro ministerio sese immiscuissent. Hic autem sensus contextui minime consentaneum esse nobis videtur. Quomodo enim cum illis dispensandum erat? Qua tandem ratione illos ad Legatum aut recurrere aut mittere credas voluisse? Nil nisi severitatem disciplinae exspectabant, qua ex officiis tanta impietate assumptis prorsus eici deberent. Hic autem non agitur de severitate disciplinae, sed potius de lenitate qua Legatus usurus erat erga eos qui vere ordinati, sed irregularitatibus irretiti, dispensationes ad officia propria exercenda sponte peterent. His dispensationibus efficiendum erat ut

omnes cuiusvis gradus clerici e schismate reversi in suorum officiorum atque ordinum exsecutione permanerent. Quomodo igitur cum eis super ordinibus quos nunquam susceperant dispensari potuit? Quinam isti ordines? Non sacri: non sane Presbyteratus. Nulla prorsus dispensatione permitti potest ut is qui ordinationem presbyteralem nunquam receperit, sacerdotii ministerium exsequatur. Quid ergo? Per hos ordines *nunquam susceptos* nihil aliud indicari putamus quam *ordines minores*, quibus praetermissis si quis ad hierarchicos per saltum promotus esset, horum exercitium Legatus ei permittere posset, dispensando super inferioribus *quos nunquam suscepisset*[1]. Quinam vero in hoc casu id temporis exstiterunt? Nempe non alii quam diaconi et presbyteri qui iuxta novos ritus ordinati erant. Ergo hisce verbis ordinationes novellae, ni fallimur, recto respiciuntur, et prima saltem facie pro validis habentur.

227. (iii) Proinde inter episcopos *ab haereticis et schismaticis* conseçratos non est dubium quin omnes enumerandi fuerint qui absque confirmatione pontificali post dissidium quocunque ritu promoti essent. Nihil ad nostram quaestionem disceptandam his verbis continetur.

228. (iv) Denique ad eos pervenimus quibus *munus consecrationis alias minus rite et non servata forma Ecclesiae consueta impensum erat.* Verba quidem *alias minus rite*, quae generalioris intentionis sunt, nihil morabimur. Quinam

[1] Vir ill. et rev. A. Boudinhon, Jur. Can. in Instit. Cath. Parisiis professor, qui nobis de hac re consulentibus benignissime respondit, putat hanc dispensationem non permisisse exercitium ordinis per saltum recepti, sed irregularitatem per eiusdem ordinis exercitium illicitum contractam respexisse; adeo ut ordinatus tum ordines praetermissos vi dispensationis reciperet, tum in ordine prius recepto ministraret. Notat enim istiusmodi dispensationem pro exercitio ordinis per saltum recepti, sine praetermissorum susceptione, a R. P. nunquam in praxi dari (cf. Gasparri, nn. 498–9); quod autem *delegans* facere non solet, *legatus* facere nequit. Nos quidem in tanti viri opinionem lubentius recedimus, praesertim cum haec distinctio nostrum argumentum minime attingat. Attamen secundum Gasparri (nn. 153 et 498), ni fallimur, si quis ordinem per saltum bona fide receperit, *simplex prohibitio* est in hoc ordine sollemniter ministrandi, quae irregularitatem ministranti non inducit. Quinetiam "si ordinatus ordinem recepit bona fide; fieri potest ut exercitium ordinis recepti ei permittatur" (*ib.* n. 153). Quaestio valde obscura esse, et iuris canonici peritissimis disceptanda videtur.

autem *non servata forma Ecclesiae consueta* consecrati erant? Notandum est non hic respici formam essentialem prorsus omissam, nec formam inadaequatam adhibitam; cuiusmodi in casibus non locus est dispensando. Qua propter in dispensationibus a Card. Polo actu expeditis permissum est ut episcopi presbyterique ordinibus sacris, *quos ab haereticis et schismaticis et alias minus rite* suscepissent, continuo uterentur, *dummodo in eorum collatione esset servata intentio et forma Ecclesiae*[1], scilicet forma essentialis adaequata. Itaque hoc loco *forma Ecclesiae consueta* ea est, quae etsi non servetur, consecratio nihilominus pro valida haberi potest. Nimirum his verbis aut ritus integer indicatur, aut, quod nobis verisimilius videtur, de formae essentialis mutatione ita loquitur, ut appareat per formam innovatam episcopos valide fuisse consecratos[2]. Quaecunque tandem fuerit horum verborum interpretatio, liquido apparet ea non posse spectare ad episcopos iuxta vetera Pontificalia consecratos. Ergo fuerunt in Anglia episcopi novo prorsus modo consecrati, quibuscum ad mentem S. Sedis dispensandum foret super irregularitatibus officii exercitium impedientibus; nec certe huiusmodi erant nisi qui iuxta ritum Edwardinum munus consecrationis suscepissent.

229. His igitur verbis Pontifex de Ordinationibus Edwardinis satis benevole consuluisse videtur. At contra obiciuntur quae inferius in eodem Brevi leguntur, ubi datur facultas dispensandi "cum eis qui ecclesias cathedrales et metropolitanas de manu laicorum etiam schismaticorum, ut praefertur, receperunt, quod eisdem seu aliis, ad quas eas (sc. *personas*) alias rite transferri contigerit, cathedralibus etiam metropolitanis ecclesiis in episcopos vel archiepiscopos praeesse, ipsasque ecclesias in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis eis hactenus impenso uti, vel si illud eis nondum impensum exstiterit ab episcopis vel archiepiscopis catholicis per te nominandis suscipere libere et licite possint." Jam hoc loco, inquiunt obiectores, ex epis-

[1] Vide app. vii. et n. 231 *infra*.

[2] Credimus his verbis explodi obiectionem, quam supra, n. 107, *in nota*, rettulimus.

copis tempore dissidii promotis distinguitur inter eos qui consecrati erant, et alios nondum consecratos, qui scilicet consecrationem irritam iuxta novum ritum recepissent. Respondemus haec verba ad eos plane spectare qui ab ipsa Maria regina sub eo tempore ad sedes vacantes nominati erant. Illa quidem publicam cum Ecclesia Romana reconciliationem nondum inierat; tamen licentias ad episcopos eligendos plurimas libere dederat, electos acceptaverat, eisque temporalia sedium restituerat; necnon et Gardinero aliisque episcopis, ut electos consecrarent, iuxta morem significaverat[1]. Alii per translationem[2], alii per electionem, novas sedes appetebant; quibuscum omnibus dispensandum erat quo rectius illi munere consecrationis hactenus impenso uterentur, hi vero licite consecrarentur. Ideoque a. d. xvi. cal. Apriles 1554 cum Johanne White, Gilberto Bourne, Jacobo Brooks, Georgio Cotes, Henrico Morgan et Mauritio Griffith formaliter dispensatum erat[3], qui ad sedes Lincolniensem, Bathonensem, Glocestrensem, Cestrensem, Meneviensem, et Roffensem Calendis Aprilibus a Gardinero, Bonnero et Tunstallo *libere et licite* consecrati sunt[4]. Ergo ista verba in Brevi, quae episcopos quosdam nondum consecratos respiciunt, non ad Edwardinos sed potius ad Marianos spectare satis et amplius constat.

C. *De his quae facta reconciliatione agebantur.*

230. Hactenus de facultatibus Legato datis. Exinde quaerendum est quomodonam ille his usus fuerit. Quaedam ad solos episcopos spectantia iam supra rettulimus. Postea vero quam in Angliam pervenisset regnumque Ecclesiae

[1] Vide Acta in Rymer, vol. xv. pp. 374, 383, 418, et alibi.

[2] *Ex. gr.* Wharton ad Hereford., Thirlby ad Elien. translati; quorum dispensationes apud *Registr. Expedit.* datae xvi. cal. Apriles, et xiv. cal. Sept. 1554 inveniuntur. Hethe, ad sedem Metrop. Eborac. translatus, dispensationem ab ipso Pontifice recepit, quae apud Wilkins, vol. iv. p. 129, habetur.

[3] In eodem instrumento cum Whartono Asaphensi, quod in superiori nota relatum est.

[4] Stubbs, *Registr. Sacr. Angl.* p. 81.

Romanae conciliasset, dispensationem generalem omnia quae pendente dissidio facta essent attingentem edidit, quae in Statuto 1 *et* 2 *Philippi et Mariae*, c. 8, totidem verbis relata est. In hac dispensatione[1] nihil exceptum est contra ordines iuxta novum ritum collatos; nec dubium est quin Legatus his verbis generalissimis eos perinde atque alios accipiendos esse docuerit. "Omnes," inquit, "Ecclesiasticas, saeculares seu quorumvis ordinum regulares, personas quae aliquas impetrationes dispensationes concessiones gratias et indulta, tam Ordines quam Beneficia Ecclesiastica, seu alias spirituales materias, praetensa authoritate Supremitatis Ecclesiae Anglicanae, licet nulliter[2] et de facto obtinuerint, et ad cor reversae Ecclesiae unitati restitutae fuerint, in suis Ordinibus et Beneficiis per nos ipsos, seu a nobis ad id deputatos, misericorditer recipiemus, prout iam multae receptae fuerunt, secumque super his opportune in Domino dispensabimus." Quomodo enim ex hisce colliges ordines post annum 1550 collatos cum superioribus non fuisse recipiendos? Imo nescimus quosnam ordines ex *praetensa authoritate Supremitatis* obtentos Legatus hic nominet, nisi qui iuxta novum ritum regiam auctoritatem prae se ferentem collati fuerint. Atqui et hos una cum aliis se misericorditer recepturum testatur.

231. His sub mense Decembri 1554 expeditis, post aliquot dies Legatus litteras dedit ad omnes antistites et sedium vacantium in spiritualibus custodes, quibus permissum est ut *omnes et singulas utriusque sexus tam laicas quam ecclesiasticas personas* suae iurisdictioni subiectas *ab omnibus et singulis haeresium, &c. peccatis criminibus excessibus et delictis,* absolverent et liberarent; necnon ut dispensarent cum eis *super irregularitate per eos praemissorum occasione, etiam quia sic ligati missas et alia divina officia etiam contra ritus et*

[1] Habetur apud Gibson, *Codex*, p. 41, et in omnibus collectionibus Statutorum Regni.

[2] Patet Cardinalem de ordinibus *nulliter* collatis loquentem non valorem sed regularitatem ordinationis infitiari. Cf. n. 242. Hinc intelliges quomodo iuxta Registrum Cantuar. quidam episcopi his temporibus *ob nullitatem consecrationis* deprivati sint. *Supra*, 216 in nota.

caerimonias hactenus probatas et usitatas celebrassent aut illis alias se immiscuissent, contracta; proinde ut eosdem reciperent *in suis ordinibus etiam ab haereticis et schismaticis episcopis etiam minus rite, dummodo in eorum collatione Ecclesiae forma et intentio esset servata, per eos susceptis, et in eorum susceptione etiamsi iuramentum contra papatum Romanum praestitissent*[1].

232. Jam iterum hisce facultatibus tam latae intentionis expeditis nihil exceptum est contra ordinationes novellas. Universo clero restituendum seu potius continuandum erat officii exercitium. Cum omnibus dispensandum erat super irregularitate contracta ob missas et alia divina officia quibus contra ritus et caerimonias antea usitatas sese immiscuissent. Non excipiuntur ritus et caerimoniae sacrarum ordinationum; quarum si de valore dubitatum esset, id Legatus hoc loco nequaquam siluisset. Namque ipsi episcopi, qui his facultatibus usuri erant, istis ordinationibus non pauci interfuerant; episcopos consecraverant[2]; diaconos et presbyteros iuxta novum ritum promoverant; Wharton, nunc Herefordensis, eundem in Parliamento defenderat, Thirlby ex eius auctoribus fuisse vix dubie videtur (*supr. n.* 106). Ecquis tandem credet hos praesules proprias suas ordinationes sine expresso Legati iussu pro nullis habuisse? Huiusmodi autem iussus ne verbo quidem neque in his facultatibus neque alibi mentio facta est. Nullis exceptis imperatum est ut omnes ordines, quicunque forent, etiamsi minus rite suscepti essent, pro validis haberentur, dummodo in eorum collatione servata esset forma et intentio Ecclesiae. Quid sonent haec verba iam antea (*n.* 228) notavimus. Putat quidem Estcourt (*p.* 46) Cardinalem, postquam de ordinibus *non servata forma Ecclesiae consueta* collatis quaesiisset, nullos eiusmodi invenisse quibus validitatem tribuere posset, ideoque in praxi sua non nisi eos qui *servata forma* collati essent accipiendos decrevisse. Ea

[1] Burnet, edit. Pocock, vol. vi. p. 361. Aliud exemplar, aliquot tantum vocabulis variatis, ex *Registro Expeditionum* typis mandavit Estcourt in app. xviii. sui operis.

[2] Aldrich Carliolensis e consecratoribus Harleii Herefordensis anno 1553 fuerat. Stubbs, *Registr. Sacr.* p. 81.

vero illatio ex fallacia quadam verborum plane nascitur. Quippe aequivoca est *forma*. Ecclesiae *formam et intentionem* tanquam partes sacramenti essentiales Legatus necessario requirebat: Ecclesiae *formam consuetam* tanquam accidentalem Pontifex variari permisit. Ergo in ordinum collatione, qui iuxta ritus novos *non servata forma Ecclesiae consueta* conficerentur, potuit servari *Ecclesiae forma et intentio*. Hanc igitur necessario requirebat Legatus, illam prudenter silebat. Sin aliter iudicasset, profecto non sub silentio sed verbis expressis sententiam tulisset.

D. *De inquisitionibus contra Novatores.*

233. Jam vero reviviscente disciplina contra haereticos et schismaticos obstinatos severissime agebatur, cuius rei exstant hodie monumenta locupletissima. Ecquid igitur in istis invenitur quod nostram quaestionem attingat? Casus obiciuntur rari admodum et plerumque obscuri, quibus ordinationum valorem impugnari nonnulli putant. (1) Ac primo quidem proferuntur Articuli quos Bonner, ut supra (n. 220) memoravimus, ad inquisitionem edidit; quorum in xxv° quaerit, "Utrum aliquis, sacerdos non exsistens, curae animarum inserviat vel sacramenta ministret[1]." En, inquiet aliquis, pseudoclericos habes, qui more Edwardino promoti pro sacerdotibus nequaquam habeantur. Respondemus hunc sensum ab alio ex eisdem Articulis, quem supra explicavimus, adeo dissonum esse ut prorsus reici debeat. Proinde constat eo tempore non paucos fuisse qui nullis ordinibus susceptis vel etiam praetensis ad sacrum ministerium et ipsa sacramenta peragenda impia temeritate pervenissent, quos in hoc Articulo perstringi vix dubium est. Exemplo est quidam Georgius Aynsworth, qui secundo die Octobris 1556 coram Johanne Norwicensi Episcopo et Edwardo Waldegrave milite con-

[1] "Whether there be any person that doth serve any cure, or minister any sacraments, not being priest." Burnet, edit. Pocock, vol. v. p. 399. Wilkins, *Concilia*, iv. 107.

fessus est se mere laicum neque in ullo ministerio constitutum[1] sacris agendis interfuisse[2].

234. Deinde cum in Articulis xii° et xiii° distingueretur inter sacerdotes seu presbyteros, et eos qui sese *ministros* nominarent, temere conclusum est Bonnerum sub hoc titulo ordinatos iuxta novum ritum rettulisse, quos pro veris sacerdotibus habere nollet. Jam vero et haec interpretatio aliorum Articulorum sensum offendit. Proinde respondemus primo his verbis referri posse Calvinistarum aliorumque ministros qui plurimi regnante Edwardo in Angliam forinsecus profugerant ibique conventicula sua permissu superiorum instituerant; nec dubium videtur quin huiusmodi *conventicula* in Articulo xiii° respiciantur[3]. Secundo respondemus non paucos eo tempore fuisse presbyteros, quo-

[1] "He nether was at that tyme nor yet is no mynyster, but a mere laye man." Eius confessio continetur in *MS. Harleiano* 421, fo. 171. Hunc autem, qui confessus est se *non esse ministrum*, Estcourt (p. 48) pro ordinato iuxta ritum Anglicanum ponit.

[2] Estcourt (p. 47) refert commissionem a Gilberto Bourne episcopo Bathonensi datam, in qua putat aliquos iuxta ritum Anglicanum ordinatos pro meris laicis haberi. Nos ipsam commissionem textualiter citabimus. Inter MSS. Harleianos No. 6967 est; *E Reg. Gilb. Bourne epi B. W.* "Commissio Joh. Cotterel, LL.D., Vicar. General. ad instituend. inducend. mandand. intrusor. in al. beneficia amovend. et privand. reformand. corrigend. puniend. &c. Insuper clericos et presbyteros tam regulares et religiosos quam seculares quos ubicunque infra sacros ordines constitut. ac mulieres pretextu ficti et pretensi matrimonii in adulterinis amplexibus tenentes, et qui in eisdem feminis illicite se coniunxerunt ac vota continentiae fregerunt ac vilependerunt, ac matrimonium sive verius effigiem de facto cum mulieribus contraxerunt: necnon Laicos coniugatos qui pretextu et sub velamine presbiteratus ordinis sese in iuribus ecclesiasticis temere et illicite immiscuerunt ac ecclesias parochiales in cura animarum et dignitates ecclesiasticas contra sacror. canonum sanctiones et iura ecclesiastica de facto assecuti fuerunt, ab eisdem ecclesiis et dignitatibus deprivand. amovend. ac ipsos sic convictos a feminis sive uxoribus suis quin potius concubinis suis separand. et divortiand. penitentiasque salutares et condignas tam eisdem clericis quam feminis propter delicta sua luxuriemque insumend." Proinde quis non videt hos *Laicos coniugatos qui pretextu et sub velamine presbiteratus &c.* fuisse eos qui post matrimonium contractum sacros ordines suscepissent, uxoresque retinuissent, atque ob hanc solam causam, nulla de valore ordinationis quaestione facta, tanquam illicite promoti ab ecclesiis et dignitatibus amovendi essent? Quippe nisi veros ordines suscepissent, quo tandem iure ab uxoribus suis separandi et divortiandi fuerunt?

[3] Art. xiii. "Whether there be any married priests or *naming themselves ministers*, that do keep any assemblies or *conventicles*, &c."

cunque ritu ordinatos, qui opinionibus haereticis imbuti sacerdotium aspernarent, sacerdotes (*priests*) appellari nollent, titulumque *ministrorum* more Calviniano prae se ferrent. Ideoque putamus Bonnerum, ne illi praetenso hoc nomine censuras contra sacerdotes latas evitarent, eos in Articulo inclusisse qui *sese ministros nominarent*. Huiusmodi erat Georgius Marsh qui anno 1555 coram Comite Derbiae interrogatus, utrum sacerdos esset, negavit. Deinde rogatus quanam esset vocatione, respondit se ministrum esse, curaeque animarum inservire. "Mirum;" inquit comes, "dudum se sacerdotem esse negavit, nunc confitetur." Respondit se non esse sacerdotem iuxta leges regni quae tunc erant. Rogatus utrum ordines suscepisset, et a quonam Episcopo, respondit se ab Episcopis Londiniensi et Lincolniensi ordinatum fuisse. "Illi," inquierunt iudices, "ex his novis haereticis fuerunt[1]." Patet igitur iudices inter *sacerdotes* et *ministros* non hoc modo distinxisse.

235. (2) At nonnulli ex Episcopis Edwardinis, haereseos damnati, a solo presbyteratu depositi sunt; non illos igitur iudices sententiam auctoritate S. Sedis ferentes pro veris Episcopis habuerunt; imo ex ipsa huiusmodi degradatione aperte demonstratur eos charactere episcopali prorsus caruisse. Ita ratiocinantur fere omnes qui recentioribus annis contra ordinationes Anglicanas disputaverunt. Cui quidem obiectioni duae patent responsiones; nec difficile erit ostendere nihil in istis depositionibus factum fuisse quod vel remotius ad nostram quaestionem spectaret.

236. Ac primo respondemus eos qui hanc obiectionem ingerant in fallaciam plurium instantiarum incidisse. Referunt enim non modo Hooperum, qui iuxta novum ritum consecratus erat, sed etiam Ridleium et Ferrarium qui iuxta Pontificale Sarisburiense promoti fuerant[2]. Hi enim omnes a solo presbyteratu depositi sunt. Non igitur ad valorem

[1] Foxe, vol. vii. p. 41.

[2] Champney, *De Voc. Ministr.* p. 428, contra valorem ritus Anglicani disputans, adducit hanc depositionem Ridleii, quem putat fuisse "ex numero eorum qui tempore Edwardi Regis, scilicet post abrogationem formae antiquae et excogitationem novae, consecrati dicuntur." Cf. Dixon, *History*, vol. iv. pp. 356, 436. Foxe, vol. vii. pp. 25, 543.

ritus Anglicani spectant eorum degradationes, nec propter innovatum consecrationis modum dignitas episcopalis eis denegata fuit.

237. De Ridleio[1] quidem anceps quaestio vexatur. Docet enim Estcourt (*op. cit.* p. 53) in commissione ad procedendum contra Ridleium et Latimerum, a Cardinali Legato data, mandatum fuisse ut Episcopi ad hoc deputati Lincolniensis, Glocestrensis et Bristoliensis eos a dignitate episcopali deponerent; idque narrat Foxe in sententia iudiciali cautum esse[2]. Attamen in exsecutione sententiae Glocestrensis Ridleium ita allocutus est:—"Secundum commissionem nostram ad depositionem a sacris ordinibus pergendum est, ideoque dignitatem presbyteralem tibi auferimus, quem pro episcopo minime habemus; quo citius tecum actum erit." Id narrat idem Foxe, testem aliquem oculatum referens[3]. Nempe lata sententia generaliori episcopi qui Legati vicem gerebant Ridleium a presbyteratu tantum destituerunt. Quod autem ad Latimerum attinet nihil de exsecutione sententiae memoriae traditum est.

238. De Ferrario nihil huiusmodi agitatum. Aliqui vero coniecerunt eum iuxta ritum novellum fuisse consecratum. Quod sane absurdum est. Nam consecratus est die 9° Septembris 1548[4]; de novis autem sacrarum ordinationum ritibus non ante mensem Januarium 1550 statutum est, neque ante Aprilem eiusdem anni liber in usu erat. Quomodo igitur putas hunc ritum ante quindecim menses adhibitum fuisse[5]? Porro ex Actis huius consecrationis in Registro

[1] Eum consecraverunt die 25 Sept. 1547 Holbeche Lincolniensis, Hodgekyn Bedfordensis, Chetham Sidonensis. Stubbs, *Registr. Sacr. Angl.* p. 80.

[2] Foxe, vol. vii. p. 540.

[3] *Ibid.* p. 543, "We must proceed according to our commission to degrading, taking from you the dignity of the priesthood; for we take you for no Bishop, and therefore we will the sooner have done with you." Vide *infr.* n. 242, in nota.

[4] *Registr. Cranm.* fo. 327 b. Habetur *Memorandum* apud Le Courayer, *Défense*, vol. ii. p. ii. app. p. xxxvii.; et Estcourt, *op. cit.* app. p. xxvii.

[5] Statutum erat de hoc ritu 3 *et* 4 *Edw. VI. cap.* 12, mense Januario 1550. Liber impressus est "*Mense Martii, A.* MDXLIX." sc. iuxta veterem computationem, anno in Fest. Annunciationis incipiente. Primo adhibitus est in consecratione Poneti Roffensis, 9 Junii 1550; eumque tunc usurpatum fuisse Registrum Cranmeri, fo. 330, expresse narrat.

digestis disces lectum fuisse in Missa *Evangelium Matthaei*, quod proprium istius Dominicae iuxta Missale Sarisburiense erat[1]; in novo autem consecrationis ritu legitur ad Missam excerptum ex evangelio S. Johannis. Certe in his Actis quaedam parum usitata memorantur, nec tamen talia quae referant aliquid in ipsa consecratione variatum. Munus impendit ipse Cranmer "*Pontificalibus insigniis indutus, assistentibus sibi Reverendis Patribus Domino Henrico Lincolniensi et Nicholao Roffensi episcopis.*" Accedunt verba de Litteris quibus, iam antiquata electione capitulari, rex ipse electum "*ad Episcopalis dignitatis culmen promovendum*" designaverat, qui deinde "*lectis publice communibus suffragiis de more Ecclesiae Anglicanae usitatis*[2], *consecratus et benedictus per impositionem manuum Episcoporum praedictorum fuit. Qua peracta idem Reverendissimus publice et palam recitatis quibusdam Psalmis, Hymnis, et Orationibus, una cum Epistola Pauli et Evangelio Matthaei; consecrata, in lingua vernacula, Sacra Eucharistia, Reverendissimus primus communicavit ipse Sacramentum Corporis et Sanguinis, tum* (nonnullis personis nominatis) *et aliis communicavit et distribuit in verbis Anglicis.*"

239. Jam patet haec parum ordinate memorari. Nam prima facie consecratio videtur ante Missam inceptam confecta fuisse, id quod in nullo ritu fit[3]. Simili modo per merum errorem putamus Registrarium dixisse Sacram Eucharistiam *in lingua vernacula* consecratam esse. Nam *Liber Precum Publicarum*, quo primo in usum reducta est Missa vernacula, nondum compositus[4] neque ante Pentecosten 1549 usurpatus fuit. Nihil in Missa adhuc mutatum, nisi quod *Ordo Communionis* insertus erat, secundum quem sacerdos post suam

[1] Dominica xv. *post Trinitatem* secundum usum Sarum erat; cuius Evangelium Matt. vi. 24–33.

[2] Estcourt (p. 55) solito ineptius conicit his verbis referri *Librum Precum Publicarum* Anglicanum. Putat sane Registrarium preces huius Libri, qui nondum in rerum natura erat (*vide inferius*), pro "suffragiis de more Eccl. Angl. *usitatis*" habere potuisse.

[3] Juxta Pontificale Sarisburiense ante *Evangelium*, iuxta ritum vernaculum Anglicanum post *Credo* consecratio incipit.

[4] Gasquet, *Edward VI. and the Book of Common Prayer*, p. 145, probabilius ostendit hoc opus inceptum esse 22 vel 23 Sept. 1548.

ipsius communionem orationibus quibusdam Anglice recitatis S. Sacramentum sub utraque specie distribueret[1]; id quod Registrum recte narrat Cranmerum fecisse *in verbis Anglicis*. Jussu Concilii regii strictissime prohibitum fuit ne aliud quicquam in ritibus et caerimoniis Missarum variaretur usque dum novus ordo promulgatus foret[2]; nec facile credendum est Cranmerum, qui et ipse e concilio fuit, aliter fecisse. Denique nihil affert dubitationis quod in Registro sacri chrismatis et insigniorum pontificalium induendorum mentio non fit; namque haud raro de his Registra silebant[3].

240. Tandem certo certius est in Ferrario consecrando nequaquam adhibitum fuisse ritum reformatum Ecclesiae Anglicanae. Quod Strype et Collier asserunt eum non omnino iuxta veterem ordinem promotum fuisse, ex ipso Registro quod iam examinavimus plane derivant[4]; neque aliud fortasse referunt quam quod ille ex sola regis designatione primus omnium consecratus esset. Quicquid autem de his sentiendum sit, plane apparet nihil prorsus contra valorem ritus Anglicani ex Ferrarii a solo presbyteratu depositione redargui posse. De Ridleio eadem est ratio. Ergo neque Hooperi degradatio eodem iure effecta ritum consecrationis dubio afficit.

241. Evanuit obiectio. Sed et alteram responsionem in promptu habemus, qua vel planius huiusmodi dubia diluantur. Quid enim respicit illa degradatio? Non characterem respicit, sed exercitium ordinis. Non deletur character indelebilis, sed tantum aufertur exsecutio ordinis. Imo sacerdos degradatus, ad mentem S. Thomae (*S. T. p. iii. qu. lxxxii. art.* 8), non amittit potestatem consecrandi Eucharistiam, quae pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis, licet ei auferantur, iuxta Pontificale Romanum, illa instrumenta quae ordinato tanquam

[1] Blunt, *Reformation of the Church of England*, p. 498; Gasquet, *op. cit.* pp. 90 seqq.

[2] Mense Januario 1548; vide Dixon, *History*, vol. ii. p. 491. Item mense Martio eiusdem anni; *ibid.* p. 493.

[3] Id fatetur Estcourt, p. 55. Exemplo sunt Thirlby, Knight, Chambers, Wakeman, Bulkely, Bushe, et Kitchen, qui omnes adhuc regnante Henrico VIII. iuxta Pontificale indubie consecrati sunt.

[4] Strype, *Cranmer*, p. 183; Collier, *Eccl. Hist.* vol. v. p. 306.

signacula huius potestatis traduntur; nec si quis degradatus postea rehabilitatus fuerit, instrumenta denuo recipiet, neque ordinationem qualemcunque suscipiet, sed impositione manuum benedictoria tantum reconciliabitur. Tantum abest ut degradatio characterem respiciat. Cum igitur a charactere nemo degradetur, sequitur ut si quis characterem cuiusdam ordinis habeat, eiusdem autem exsecutione careat, is ab illo ordine degradari nequeat. E converso si quis a quodam ordine praeter opinionem non fuerit degradatus, argumentum probabile fit quod huius ordinis exsecutione caruerit; nihil autem de charactere in dubio ponitur.

242. His quidem perpensis in medio est dicere quid redarguant istae degradationes. Praesumptum est episcopis Edwardinis exsecutionem ordinis episcopalis omnino defuisse. Nec mirum; nam si iuris Pontificii rigorem respexeris, quo iure Legatus omnia iudicabat, necessario concludes nunquam eis impensam fuisse ordinis exsecutionem, quippe qui absque consensu Romani Pontificis consecrati fuissent, nec dispensationes in huius defectus remedium, sicut alii, recepissent. Ergo consecrationes eorum, ut docet Hallier, irritae fuerunt quoad exercitium[1], neque ab ordine episcopali degradari poterant. Contra ab ordine presbyterali, quem ante dissidium inchoatum susceperant, sollemniter degradati sunt. Quod receperant, ablatum est; quod nunquam habuerant, quomodo eis auferendum erat? Totam rem ita disceptamus: Legatus consecrationes episcoporum Anglicanorum quoad exercitium irritas atque invalidas esse statuit, quoad substantiam, seu characterem, pro validis habuit.

243. (3) Restat unicus casus quo clericum iuxta novos ritus ordinatum pro mero laico habitum fuisse certo invenimus. Quidam Bradford fuit, qui ad diaconatum a Ridleio promotus coram iudicibus tamquam laicus haereseos accusatus

[1] Hallier, *De Sacr. Elect. et Ordin.* p. ii. sect. v. cap. v. art. ii. § ii. Hoc sensu, ni fallimur, Glocestrensis Ridleium pro episcopo habendum esse negavit. Eodem sensu scriptor recentissimus, qui Sanderi historiam Anglice reddidit, ipsum Bonnerum pendente dissidio episcopum fuisse negat. "He accepted the bishoprick of Hereford from the king, and then that of London, and was consecrated April 4th, 1540. *He was not a bishop* for he received no Bulls." Lewis, *The Anglican Schism*, p. 179, *in nota.*

est. Causam ignoramus; et notatu dignissimum est Gardinerum, qui Officio interfuit, hanc personae descriptionem valde miratum fuisse[1]; unde certissimo concludi potest in foro ecclesiastico non morem fuisse ut tales ordines pro nullis aestimarentur.

244. Omnia huiusmodi quae afferunt obiectores iam examinavimus, utique obscura neque in alterutram partem adeo certas rationes inducentia, ut quaestionem hinc diremptam habeamus. Atqui conclusionem probabilissimam fieri putamus quod ordines iuxta novos ritus tot hominibus collati, nisi in raris casibus quorum rationes haud satis apparent, pro validis quoad characterem accipiebantur.

245. (4) Proinde ex inquisitionibus haereseos causa, quae plurimae post annum 1555 incipientem instituebantur, eandem conclusionem inferimus. Nullis enim, neque auctoribus novorum rituum, neque eis qui his ritibus sacrorum ordinum vel conferendorum vel suscipiendorum causa interfuissent, obiecta est opinio de sacris ordinibus erronea. At certe Cranmero, quem praecipue persequebantur, accusatores et hoc crimen obiecissent, si formam et materiam ordinationum ita haeretica intentione ab eo depravatas esse putassent, ut sacrum Ecclesiae ministerium penitus evelleretur. Nihil autem de hac re in Articulis exhibuerunt; nec quicquam de ordinationibus detulerunt nisi quod reus *absque consensu sedis Romanae episcopos et presbyteros promovisset*[2]. Testes quoque ad hunc articulum confirmandum consecrationes factas ostenderunt, nihil de ritu addiderunt. Robertus Warde "ad Art. xiv. dicit quod praefatus Thomas Cranmerus consecravit in episcopos Johannem Hooper in Glocestrensem, Milonem Coverdale in Exoniensem, Hugonem Holbache et postea quemdam doctorem Taylor in episcopos Lincolnienses, et insuper quod consecravit doctorem Rydley in Roffensem episcopum quem

[1] Dixon, *History*, vol. iv. p. 323. Cum Gardiner sententiam lecturus reum *laicum* esse animadvertit, "Quid," inquit, "nonne tu presbyter es?"

[2] Art. xiv. "Item that he the said Archbishop of Canterbury did not only offend in the premisses, but also in taking upon him the authority of the see of Rome, in that without leave or license from the said see, he consecrated bishops and priests." Habetur apud Foxe, viii. p. 59.

postea transtulit ad episcopatum Londiniensem." Ricardus Croke "dicit quod praefatus Cranmer pro Archiepiscopo Cantuariensi se gerens consecravit et transtulit complures in Anglia episcopos[1]." Alii similia; nemo ritum haereticum aut invalidum obicit. Proinde Cranmer ad retractationem omnium suarum opinionum severissime astringebatur, quo malis quae fecisset, quantum posset, mederetur. Nihil tamen de hac re in senis illis recantationibus dictum invenimus[2]. Opiniones suas falsas vel temerarias de Pontifice Romano, de Sacramento altaris, de Purgatorio, de septeno Sacramentorum numero deplorat, haereses Lutheranas et Zuinglianas anathematizat, fatetur se Missas fidelibus defunctis furatum esse[3]; omnia huiusmodi post condemnationem suam mortis crudelissimae timore captus retractavit, nec verbum quidem de sacris ordinationibus addere coactus est.

246. Nec modo silentium in hac parte testimonio habemus, sed in litteris Romam anno 1555 missis plane assertum invenimus haereticos Anglos de sola S. Eucharistiae doctrina errasse[4]. Contra hodierno tempore imprimis obiciuntur illis

[1] Depositiones continentur in *Processu contra Thomam Cranmer* ad Card. Puteum Subdelegatum Apostolicum ad hanc rem constitutum misso, qui in Bibliotheca Lambethana, MSS. MCXXXVI, asservatur. Habetur apud Strype, *Memor. Cranm.* app. 88*, ed. Oxford, 1854.

[2] Cranmeri Retractationes curante Bonnero typis mandatae sunt anno 1556. Habentur apud Jenkyns, *Remains of Thomas Cranmer*, vol. iv. pp. 393 seqq. Quattuor priores Anglice breviter conscriptae, dein duo Latine fusius exaratae sunt, quarum alteri ab ipso Card. Polo, ut videtur, compositae Cranmer manu sua subscripsit. Item omnes Latine adhibentur in libello manuscripto, cui titulus verbis Anglicis additur *Bishop Cranmer's Recantacyons*, Parisiis in Bibliotheca Nationali asservato. Dixon, *Hist.*, vol. iv. p. 490.

[3] Respicit fundationes Missarum perpetuas anno primo Edwardi VI. abolitas.

[4] "Quanto alli eretici già inquisiti imprigionati, s' è dato ordine, che a quelli i quali mostraranno segno di riconoscersi e pentirsi del loro errore, per questa prima volta siano rimesse tutte le pene canoniche, con questo però che quelli che haveranno predicato alcuna falsa dottrina siano tenuti a rendersi in colpa publicamente, e gli altri in segreto, e a questo esamine Monsignor il Cancelliere, e alcuni altri Vescovi hanno atteso, e attendono con diligenza e ne hanno già ridotti alquanti *etiam* dei principali; ne restano però alcuni ostinati nell' errore del Sacramento, nel quale pare che queste povere genti siano più involte, che in alcun altro; anzi pare, che *in hoc solo errant.*" Ex opere Estcourti (app. xvii.) haec desumpsimus, qui refert *Registrum Lit. Card. Poli*, tom. xix. p. 147: Brit. Mus. Add. MSS. 15,388, fol. 393.

errores de sacro Ministerio, quos sane ignorabant eorundem insectatores contemporanei.

E. *De quorundam privatorum opinionibus.*

247. Huic nostro argumento etsi vix consentaneum est meras privatorum opiniones expendere, tamen haud inutile erit quaerere numqui sententias eo tempore protulerint, quae ordinationes Edwardinas prorsus reiectas esse indicarent. Huiusmodi duas tantum Estcourt affert. Concionem Gardineri citat, qui regiam supremitatem ita perstringit: "Quale vero," inquit, "illud tandem caput erat Ecclesiae, cui statim dimidiatus clerus ablatus est, et sacerdotio sublato ministri homines laici et prophani et coniugati constituti, et cui post paucos annos ex dimidiato nullus omnino clerus futurus esset[1]." Verba admodum rhetorica neque ad certum finem directa; namque haec mala ex titulo *Supremi Capitis* assumpto statim consecuta fuisse docet, id quod rituum reformationem multis annis praecesserat; totam autem status clericalis ruinam non nisi in futuro exspectabat. Haec sane obscuriora quam ut quaestionem historicam dirimant. Proinde et Homiliam Bonneri citat, qui *ministros falsos* insectatur, *tempore schismatis nova quadam ordinatione factos, quibus nulla data erat potestas offerendi.* Haec quidem fortius dicta; sed cum perstringit *ordinatores quoque schismaticos qui non modo sacrificium Missae sed etiam Realem Praesentiam prorsus contemnerent atque impugnarent*[2], continuo intelligimus rem esse cum oratore potius quam cum indagatore. Namque non pauci erant episcopi catholici et cum sede Romana tempore Mariae reconciliati, qui istis ordinationibus saepis-

[1] Estcourt, app. xvi. Extractum est ex *Concione Rev. D. Stephani Ep. Vintoniens. &c.*, Romae impressa, 1555.

[2] "Counterfetid mynysters"; "the late made mynysters in the tyme of the scysme, in theyr newe devised ordination, havinge no authoritie at all given them to offer in the masse the body and bloude of our Saviour Chryste, but bothe they so ordered [or rather disordered], and theyr schysmaticall orderers also, utterlye dispising and impugninge not onely the oblation or sacrifyce of the masse, but also the reall presence &c." Bonner, *Profitable and necessarye doctryne*, Fol. Aa. 4, citat. ap. Estcourt, p. 58.

sime interfuissent. Quippe si in verbis eius institerimus, dicere oportebit Bonnerum non omnes presbyteros Edwardinos pro *falsis* habuisse, sed eos tantum quorum ordinatores in haeresim circa S. Sacramentum altaris incidissent. Sane Bonner, ut ait Gasquet, homo practicus erat, in S. Theologia minime doctus[1].

248. Obiurgationes vaniloquas habemus; nullum certum testimonium de ordinationibus omnino reiciendis. Contra hos ipsos praesules iam antea in testimonium adduximus, qui actibus suis ordines iuxta novum ritum susceptos pro veris obsignaverint.

249. His igitur expensis quae auctoritate S. Ecclesiae Romanae Maria regnante fiebant, nihil invenimus quod nullitatem ordinationum Anglicanarum recto inducat, multa quae eas pro validis tunc habitas saltem interpretative ostendant. Non quidem rationes demonstrativas nos produxisse censemus, sed probatissimum esse credimus in legatione Card. Poli nihil contra valorem harum ordinationum generatim definitum, sed pro diversitate personarum rei investigandae curam fuisse impensam, adeo ut omnes *in suis ordinibus reciperentur*, quorum in promotionibus *servata esset forma et intentio Ecclesiae*, ad conficiendum sacramentum necessaria.

II. *De his quae primis Elizabethae annis gerebantur.*

250. Postea vero quam Elizabetha iam regno excepto auctoritatem S. Sedis denuo renunciarat, continuo in Curia Romana cautissime agebatur. Episcopis enim Anglicanis fere omnibus, ut in primo capite narravimus, depulsis, novi surrogati sunt, qui iuxta novum ritum consecrati ecclesias de facto obtinebant, et iure ordinario administrabant. Nec tamen de his rebus quicquam Romae motum invenimus. Curia nihil agitabat. Novi antistites, novi ritus, neque agniti nec reprobati sunt. Pius IV. post mortem Pauli IV. in pontificatum suffectus litteras caritate pastorali plenas ad reginam scripsit, eamque de Concilio, quod post longum intervallum instaurare optabat, certiorem fecit, necnon in-

[1] "A practical man but evidently no theologian," Gasquet, *op. cit.* p. 86.

desinenter urgebat ut oratores Tridentum mitteret; nihil de rebus novandis addidit[1].

251. Nimirum de Ecclesia Anglicana nihil adhuc ratum erat, neque ipsis patribus Tridentinis, cum iam deliberationes resumpsissent, quicquid in adversam partem certo conclusum videbatur. Namque in Concilio, mense Novembri, 1562, cum disputaretur de collatione iurisdictionis, quam Hispani Episcopis a Deo immediate esse confirmarent, "*Acadensis Ibernus ostendit tribus rationibus non posse subsistere quod aiunt iurisdictionem immediate esse a Deo.* '*Primo*, quia in hierarchia essent multa capita, potiusque redderetur anarchia, ac totum everteretur. *Secundo*, quia ex eo magis confirmaretur opinio haereticorum. Nam et in Anglia rex vocat se caput ecclesiae Anglicae et creat episcopos, qui consecrantur a tribus episcopis, aiuntque se veros episcopos, qui sunt a Deo; nos vero id negamus, quia non sunt a Pontifice Romano adsciti; et recte dicimus, hacque tantum ratione illos convincimus, non alia; nam et ipsi ostendunt se fuisse vocatos, electos, et consecratos, missos: igitur si in Canone dicatur tantum a Christo institutos, hinc inferrent electionem fieri tanquam ex nudo instrumento, quod aequale sit in omnibus tam regi quam Papae. *Tertio*, quia si iurisdictio esset tota a Deo, Papa non posset illam tollere, nec transferre in aliam, sicut non potest prohibere consecratum quin ordinet et conficiat Eucharistiam.' *Quae sententia omnibus placere maxime visa fuit*[2]."

252. Iste vero Acadensis episcopus Hibernicus fuit, nomine O'Harte, ex ordine Fratrum Praedicatorum, quem rerum Anglicarum satis peritum fuisse nemo dubitabit. Is quidem plane testatur praesules Anglicanos a tribus episcopis ita consecratos fuisse, ut non alia ratione convincerentur quam quia non essent a Romano Pontifice asciti. Nec modo illius opinionem sed etiam patrum assensum testimonio habemus. Verum est ad Concilium non relatum fuisse de ordina-

[1] Habentur litterae apud Raynaldi *Annales*, tom. 14, p. 73. Cf. Pallavic. *Hist.* xv. 7.

[2] Raynaldi *Annales*, tom. 15, p. 287; Le Plat, *Mon. ad Hist. Conc. Trid.* tom. v. p. 578.

tionibus Anglicanis ; nec tamen haec tantum obiter dicebantur, sed quae onus argumenti plerumque sustinerent. Attamen si quid contra huiusmodi ordinationes vel a Card. Polo Legato S. Sedis vel ab alio quodam auctoritatem S. Ecclesiae Romanae exercente decretum esset, imo si quae de earum valore dubia graviora exstitissent, quis credet Episcopum in Concilio Tridentino talia disputare potuisse? Namque ostendit episcopos Anglicanos iurisdictionem et missionem vi consecrationis sibi arrogare. Proinde statim respondissent patres illos Anglicanos charactere episcopali carere, neque ad rem esse quae disputaret Acadensis.

253. Quidam putaverunt Acadensem, cum de *rege* et de *capite ecclesiae* locutus sit, non ad Elizabetham, quae hunc titulum nunquam prae se tulit, neque ad episcopos ab ea creatos spectasse[1]. Sed de hac re testimonium ineluctabile habemus. His enim quae modo narravimus disputatis, Card. Lotharingius ad Concilium de hoc novo canone, qui septimus numeraretur, rettulit:—*Si quis dixerit episcopos non esse a Christo in Ecclesia institutos, aut sancta ordinatione non esse sacerdotibus maiores, vel non habere potestatem ordinandi, aut si habent id esse illis commune cum sacerdotibus, sive ordines ab illis collatos sine plebis et saecularis potestatis consensu auctoritate irritos esse; Anathema sit.* Qui cum novem examinatoribus a Legatis commissus esset, tandem reiectus est, septem allatis rationibus, quarum haec est quarta:—"Quoniam multi sunt haeretici qui asserunt eorum Episcopos, creatos a regibus aut magistratibus aut Ecclesiis, esse legitimos Episcopos, cum Episcopale munus a Christo sit institutum, et in eorum electione versetur tantum nudum ministerium. Qui error magis confirmatur hoc Canone, cum totum opus Christo tribuatur, nec ulla fiat mentio Papae, quod nuper etiam advertit in Congregatione Episcopus Hibernicus, loquens de regina Angliae, quae ita ratiocinatur[2]." Patres igitur Concilii Acadensem de Elizabetha et de episcopis eo tempore promotis loquentem intelligebant.

[1] Hutton, *The Anglican Ministry*, p. 131.
[2] Paleotto, *Acta Concilii Trid.* Londini, MDCCCXLII, pp. 359–361.

254. Porro mense Junio proximi anni 1563, cum de rebus Anglicis quaestio nova recto agitaretur, eadem fere de episcopis Anglicanis patres iactitabant. Res a Pallavicino (*xxi.* 7, 5) narratur, cuius verba in Elizabetham non certe mitigata referemus. "Jam vero," inquit, "Belgarum, quos diximus, adventus succenderat Tridenti consilia vibrandi Decreta in impiam propinquae Angliae Reginam; et Pontifici consilium probabatur, cum ipsi aptus ad id locus videretur, in quo agebatur de legitimis episcopis, quippe quod illic licebat pronuntiare, huiusmodi non esse episcopos a Regina assumptos, simulque eam esse schismaticam et haereticam. Quam sententiam ab Oecumenica Synodo latam, sperabat ille inflammaturam fuisse Catholicos Principes ad opem armis ferendam vexatis illis et oppressis fidelibus."

255. Illi igitur episcopos Anglicanos *legitimos* esse negabant, non alia ratione quam quod *a Regina assumpti* forent, id quod Acadensis iam antea solum obiecerat. Atqui si quid contra valorem ritus determinatum foret multo praestantius fuisset eorum promotionem non modo illegitimam sed etiam irritam quoad characterem pronuntiare; quae si Concilium declarasset, non modo fautores iurisdictionis papalis, qui pauci erant in Anglia, corroborasset, sed plurimos qui vera sacramenta verumque sacerdotium inter essentialia reputarent, anxios et sollicitos in eandem partem distrahere potuisset. Nihil factum est. Narrat enim Pallavicinus oratores Caesarianos obiecisse, "si Elizabethae huiusmodi vulnus infligeretur, eam efferatam exercituram fuisse lanienam in paucos illos episcopos, qui in Anglia remanebant." Paucos scilicet, qui tempore Mariae *a Pontifice Romano adsciti* soli secundum definitionem Concilii dignitatem legitime obtinebant.

256. Primis igitur Elizabethae annis nihil contra valorem ordinationum Anglicanarum auctoritate S. Ecclesiae Romanae neque in Curia neque in Concilio sancitum invenimus. Jam vero ad originem hodiernae praxeos appropinquamus, quam diligentissime examinare praestabit.

III. *De his quae temporibus recentioribus gesta sunt.*

257. Anno 1570 incipiente processus contra Elizabetham Romae expediebatur[1], cui interfuerunt testes non pauci ex Anglia profugi. Inter hos Thomas Goldwell olim Asaphensis episcopus affirmabat episcopos in Anglia constitutos esse qui mere laici essent. Alius quidam testabatur Nicolaum Bullingham, quo ipse familiariter uteretur, non esse sacerdotem, locumque Episcopi catholici ex reginae auctoritate occupasse. His auditis tandem sententia in reginam lata est, quod inter alia facinora episcopatus beneficia et alias dignitates *schismaticis*, *haereticis*, *uxoratis*, *non clericis* propria auctoritate contulisset[2].

258. Quid istaec sonant? Episcopos quosdam et presbyteros pro meris laicis testes certe habebant, quorum opinionem Curia sequebatur. Nec vero huius opinionis rationem reddunt, nec certo apparet utrum ordinationum valorem impugnaverint, an quosdam de facto ordinatos et consecratos esse negaverint. Res admodum obscura. Quare enim de ipso Parkero, qui hierarchiae Anglicanae praeses et coryphaeus erat, nihil relatum est? Non certe deerant qui de eius promotione testari possent. Imo publici iuris erant ea quae in casu occurrissent; namque latum in Parliamento statutum ante tres annos omnia confirmaverat[3]. Itaque si de ordinationum valore disputatum esset, facile erat ipsum ritum in medium proferre. Nihil huiusmodi. Fama vulgaris, rumores, privatorum etiam laicorum opiniones atque assertiones

[1] Laderchii *Annales*, tom. 3, pp. 197 seqq.

[2] Eam de his testimoniis opinionem in textu secuti sumus quam scriptores communiter acceperunt. Attamen dubitari potest utrum per haec verba de episcopis, qui *mere laici* vel *non-sacerdotes* constituti essent, ipse character episcopalis omnino negetur, an potius promotio per saltum respiciatur. Duo enim ex episcopis Elizabethanis, Pilkington Dunelmensis et Bullingham Lincolniensis, qui et in processu nominabatur, in episcopatum sine presbyteratus susceptione consecrati sunt. Id constat ex Tabula episcoporum a Parkero consecratorum, quae in libro *De Antiquitate* (*supr.* 26) habetur, ubi cum ceteri omnes aut *praesb. reg.* aut *praesb. saec.* nominantur, illorum nominibus apponitur *min. saec.*, id quod scriptores varie interpretantur *minister saecularis*, aut *minor saecularis*, utpote qui in ordinibus minoribus constitutus esset.

[3] Vide supra, n. 32.

afferebantur. Nihil de ritu, de forma et materia, de ministrorum qualitate atque intentione, ad Curiam relatum invenimus. Denique in Bulla *Regnans in excelsis*, qua sententia promulgata est, nihil de ordinationibus neque asseritur nec negatur.

259. In eandem ambiguitatem scriptores incidebant qui sub eisdem temporibus hierarchiam Anglicanam insectati sunt. Certis enim rationibus rari innitebantur, easque plerumque proferebant quae potius iurisdictionem quam characterem episcoporum impugnarent. Imo plane falsas nonnulli commenti sunt, ut qui asserebant nullos fuisse episcopos in Anglia qui Parkerum consecrarent, nulla prorsus manuum impositione benedictos novos antistites ad ecclesias suas per nudam electionem pervenisse, aliaque similia, quae longum esset nec praestaret enumerare[1].

260. Nec tamen dubitari potest quin fautoribus pontificiae potestatis opinio iam coeperit ingravescere, quod ordinationes Anglicanae invalidae forent, quibus ne character quidem clericalis imprimeretur. Id verbis asseverabant; id factis confirmabant. Non paucos enim, qui ministerio Anglicano functi erant, in statum laicalem redactos episcopi Gallicani et Belgici ad omnes ordines et Sacerdotium denuo admittebant. Estcourt (p. 138) nullos ante annum 1570, duodecim autem qui ante finem saeculi huiusmodi reordinationem susceperint, summa industria enumeravit.

261. Hinc hodiernae praxeos primordia S. Ecclesiam Romanam habuisse credimus. Ipsi enim rei auctores ingenue fatebantur se novum aliquid in hac parte moliri, nec cum eis, quae superioribus temporibus gesta essent, consentaneum sibi esse consilium. Namque in libro ex his qui has partes defenderent longe celeberrimo, *De origine et progressu Schismatis Anglicani*, quidam sollicito, ut videtur, animo talia de reconciliatione Mariana scripsit:—

262. "Sed in his primis restituendae Ecclesiae initiis gravius a clero passim in eo peccatum est, quod Regina ita (ut dictum est) facultatem exercendae Catholicae religionis concedente, mox multi ex superiore Henrici et Edouardi

[1] Multos huiusmodi citat Estcourt, qui hanc ambiguitatem ingenue deplorat; pp. 117, 133.

temporibus schismate, canonum et regulae Ecclesiasticae obliti, sine conditionis cuiusque suae consideratione, non examinantes a quibus et qualibus episcopis, quove modo fuerant ordinati, utrum aliquo censurarum vel irregularitatum vinculo aut impedimento innodati ac irretiti, temere plane ac irreverenter (ne quid gravius de hominibus ex canonica disciplina neglecta potius quam contempta peccantibus dicam) ad sancta altaria et sacrificia convolabant[1]."

263. Tandem hac ipsa negligentia auctor effectum fuisse putat, ut tam cito mortua Maria omnia denuo everterentur. Sperat quidem reginam huius rei postea poenituisse; sed liquido apparet eum nihil regnante Maria mutatum comperisse; quocirca praxim suorum et novellam esse agnovit, et per hanc maiorum incusationem defendere voluit.

264. At in re adeo gravi, cum praesertim de sacris ordinationibus repetendis quaestio esset, non sine iustis causis ac certis rationibus agendum erat. Namque et presbyteros Anglicanos praetensis ordinibus destitui oportebat, et fidelibus Anglicanis persuadendum erat ut reiecto illorum ministerio ad sacerdotes missionarios, qui in Angliam advenire iam coepissent, pro sacramentorum susceptione confugerent. Qua tandem ratione haecce evincere? De ritu ordinationum admodum difficile erat aliquid disputare; cum praesertim non pauci adhuc superessent qui memoria tenerent quid in hac re fecissent episcopi Mariani. Quid ergo? Rumores plane falsos, ut antea diximus, de episcoporum promotione nonnulli ignorantia fortasse capti spargebant. Hi vero, dum res in memoria manebant, haud multum valebant. Opus erat rationibus theologicis.

265. Ideoque libellus ad hunc finem directus Duaci anno 1580 vulgatus est. Auctor fuit Robertus Parsonus, qui, partium suarum protagonista, Catholicos Anglicanos a cultu in ecclesiis parochialibus adhibito revocare conatus est. Inter

[1] Sanderus, *De orig. et progr. Schism. Angl.* lib. ii. p. 248; edit. Ingolstadii, 1588. Verba non Sanderi esse, nec quidem Rishtoni continuatoris eius, sed primum huic editioni Ingolstadiensi post amborum obitus a manu cuiusdam anonymi scriptoris accessisse, ex diligenti editionum collatione comperit amicus noster E. G. Wood, Cantabrigiensis.

alia argumenta hoc etiam urget, quod ministri Anglicani sint *meri laici*. Quomodo autem id probat? Rationes affert non historicas sed theologicas. Multas esse dicit; duas tantum explanat. Et quales istae? Nempe "quod ordines inferiores non susceperint, quos ante presbyteratum necessario conferendos esse docent et concilium antiquum Carthaginiense cui interfuit ipse S. Augustinus, et patres omnes tam priores quam recentiores; necnon quod ab episcopo et sacerdote, qualem Ecclesia Catholica in eam potestatem promoverit, non ordinati sint, cum Ecclesia neminem pro episcopo habeat, nisi qui per manuum episcoporum catholicorum trium aut ad minus duorum impositionem ordinatus fuerit[1]."

266. Sane miraberis hominem, qui eruditionis laude non careret, tales protulisse ineptias. Nec tamen ille rationes his fortiores eruere poterat, neque ab alio quoquam meliores id temporis prolatas invenimus. Quis autem tulerit praxim quae talibus subsidiis innitetur? Quis credet Ecclesiam Romanam in tantam absurditatem procidisse, ut sacramentum Ordinis ob istas causas iterari sineret? Alia quaedam proculdubio asserebantur, cum praxis, quae in Anglia et finitimis regionibus originem habuisset, tandem in ipsam urbem irrupit, et Romae reordinati sunt presbyteri Anglicani. Id primo factum est anno 1608; quo tempore quaerendum est quaenam fuerint opiniones de his rebus ventilatae.

267. Imprimis autem ipsa praxis sibimet argumento fuit. De origine eius nihil fortasse quaesitum, nihil certe definitum est. Id quod in provinciis Gallicis et Belgicis iam plurimos annos factum erat, satis probatum videbatur; nec quisquam

[1] *A brief discours contayning certayne reasons why Catholiques refuse to goe to Church*, Doway, 1580, p. 41. "But now that ether all, or the moste parte of mynisters of Englande be meere layemen, and noe preistes, and consequentlye have noe authoritie in these thinges, it is evidente for manye causes: as wel for that they have not receaved the under orders, which they should have done before Preistehoode, (as appeareth by the Auncyent Councel of Carthage, wherin Saint Augustine was himselfe,) and by al the Fathers bothe before and since: as allso because they are not ordayned by such a Bishoppe and Preist, as the Catholicke Church hath put in that aucthoritye: which admitteth noe man for Bishoppe which is not ordeyned by imposition of three or two Catholicke Bishoppes handes at the least."

ex altera parte reclamabat; praesules ac doctores Anglicani nihil adhuc movebant, neque ullo cum Ecclesia Romana commercio utebantur. Scriptores autem recentiores causas potius ad praxim iam stabilitam explicandam innectunt, quam quae praxeos originem declarent. Id fatetur Estcourt (p. 168); nec nos cum talibus hoc loco rem habere volumus, nisi quo satius intelligatur quare in hanc nostrarum ordinationum opinionem viri ecclesiastici tam leviter abire potuerint.

268. Duo igitur potissimum argumenta proferebantur quibus evincerentur Anglicani, nec tertium deerat, quod nos multum ad rem praeiudicandam valuisse putamus.

269. (*a*) Ac primo quidem erat scholasticum argumentum de porrectione instrumentorum omissa, cuius ne mentio quidem nec temporibus Marianis neque in primordiis controversiae recentioris videtur occurrisse. Neque enim in scholis eo tempore adeo vigebat opinio de porrectionis instrumentorum necessitate, ut ordinationes hac sola causa irritae atque invalidae temere haberentur. Imo ex scriptis quae in capite secundo rettulimus, patet in Anglia omnes episcopos ac doctores, tam veteris quam novae disciplinae fautores, cum de sacris Ordinibus disputarent vel docerent, porrectionem instrumentorum alto silentio praeteriisse. Nil nisi manuum impositionem pro materia ponebant. Porro neque ipse Card. Polus in Synodo Londinii anno 1557 habita quicquid de hac caerimonia in constitutionibus ad sacras ordinationes spectantibus instituit, id quod certe facere debuisset, si propter eius omissionem ordines iuxta ritum Anglicanum collatos in planam nullitatem nuperrime reiecisset. Is quoque nil nisi manuum impositionem refert[1]. Neque aliter in Concilio Tridentino actum est. Multa de sacris ordinibus Concilium definivit, de materia essentiali nihil. De porrectione instrumentorum ne verbum quidem in canonibus invenitur. Nimirum in sententiam Card. Lotharingii patres ibant, ut praetermissa sacramentalis materiae definitione, quae facile decerni non posset, impositionem manuum frequentissimis S.

[1] Habentur constitutiones apud Wilkins, *Concilia*, iv. 126.

Scripturae locis commemoratam animadverterent[1]. Postea vero quam reviviscere coepissent Scholasticorum et praesertim Angelici Doctoris institutiones, continuo et huius sententia de porrectione instrumentorum communior evasit, neque alia quaequam inter eos qui Pontificali Romano studebant saeculo xvii. viguisse videtur donec a Morino explosa paene abolevit. Ideoque cum ordinationes Anglicanae inde ab anno 1559 sine porrectione instrumentorum confectae essent, hac sola ratione in nullitatem facile obvertebantur.

270. (*b*) Deinde et fabulosae narrationes quae post primos Elizabethae annos in vulgus spargebantur, praesules Anglicanos non a veris episcopis, non impositione manuum consecratos, sed a regina tantum assumptos[2] aut nuda electione creatos, tandem in istam famosam fabellam congestae sunt, de consecrationibus ludicre in diversorio confectis, quam Champnaeus aliique, aut invidia aut forsitan stultitia capti, post annum 1604 ediderunt. Idem Champnaeus anno 1616 de Barlovi consecratione primus dubia movit, quo facilius Anglicanorum doctrinae de necessitate consecrationis insidiaretur. His et aliis huiusmodi fabulis inquinata, quid mirum si Ecclesia Anglicana sacros Ordines flocci facere ac prorsus reiecisse videretur?

271. Hisce et similibus argumentis adductos credimus principes ac rectores S. Ecclesiae Romanae eam praxim admisisse quae ante aliquot annos subrepere inceperat. Cuius sententiae defensorem habemus virum doctissimum Ludovicum Duchesne, qui eadem fere Gallico stilo nuperrime exaravit[3].

[1] Le Plat, *Monum. Conc. Trid.* vol. v. p. 583. Pallavic. xix. 6.

[2] Olim venibat in Anglia libellus quidam *Historiae Reformationis* titulum prae se ferens, cui praefixa tabula ipsam reginam Elizabetham *episcopum consecrantem* per S. Biblia eius capiti imposita praesentabat.

[3] Apud *Le Bulletin Critique*, Juillet, 1894. "Que si, de la pratique et de l'opinion d'à présent, on remonte au temps où elles se sont introduites, il faut bien reconnaître qu'au xvi[e] siècle, l'état des informations sur l'antiquité liturgique n'était pas tel qu'il fût prudent de contester les théories des scolastiques. Jugées d'après ces théories, alors universellement admises dans le monde orthodoxe, les ordinations anglicanes devaient être considérées comme invalides ou comme suspectes. Joignez à cela les légendes répandues de bonne heure sur Parker et Barlow, vous aurez plus qu'il n'en faut pour expliquer la genèse de l'usage romain et de l'opinion catholique."

272. Tertium restat. (*c*) Ecclesia Anglicana cum sectis Calvinianis penitus confundebatur. Nec mirum. Domi a Calvinistis paene obruta, foras cum eisdem arctissima familiaritate utebatur. Etenim cum re publica eis temporibus adeo consociata est Ecclesia ut Elizabetha, foedere cum Hugenotis et cum Calvinistis in Belgica dimicantibus icto, non minus religionis quam regni defendendi causa societatem simul cultus atque armorum iniisse videretur. Tempora funestissima; bellis intestinis tota laniabatur Christianitas; nec sese invicem intelligere potuerunt qui nil nisi mutuam perniciem moliebantur. Anglia prae ceteris terris felicior adhuc discordia civili expers, quippe cui hora nondum venisset, contra hostes externos anxie vigilabat; mox pro patria, pro aris et focis dimicantes, Angli Hispanos odio inexpiabili persequebantur, non unum cultum, non vinculum caritatis, vix eundem Deum cum illis habere tolerabant.

273. Nec minore invidia sese divellebant professores dilectionis divinae, qui potius triumphum dialecticum reportare optabant, quam ut mutuis consiliis in semitam caritatis una reducerentur. Alteram partem audire, nedum intelligere, nemo fere conabatur. Convicia spurcissima inter se torquebant; festucam ultra modum trabis indesinenter confodiebant. Neque inter gravissimas defuerunt etiam ludicriores quaedam iniuriae. Sanderus in longo exsilio morum patriorum fortasse oblitus asseruit Anglicanos reiecto nomine episcoporum *superintendentes*, Lutherano more, verbo et re ipsa creasse. Nec mirum est si in rebus Anglicanis aestimandis extranei tantopere sese fefellerint, cum praesules nostri et rectores Fulkum [1], puritanum acerbissimum, aliosque id genus, Ecclesiae defensionem quocunque modo agere libenter sinerent.

274. Quod si inter arma leges sileant, multo satius inter huiusmodi controversias deficiunt aequitas et moderatio, patientia et humanitas, quibus animi disputantium ad veritatis indagationem tanquam legibus astringantur. Ideoque laxis habenis utrimque in praeiudicatas opiniones ruebatur; neque Angli abstinebant quin Romanum Pontificem eiusque fautores pro deceptoribus ac deceptis, pro inimicis omnis iustitiae

[1] Vide *supra*, n. 153.

convellerent, nec Romae de Ecclesiae Anglicanae veritate aequo animo deliberari poterat.

275. Postea vero quam furor iste disputatoribus potius fessis quam victis parumper sedatus est, non statim via fuit ad dubia mutuo studio persolvenda. In erroribus obstinati, pessimis rationibus illaqueati, non facile ad saniora consilia redierunt. Alii aliorum quaestiones, argumenta, testimonia vix intelligere conabantur, expendenda spernebant. Tandem inter angustias deprehensus clerus Anglicanus, furore Calviniano in magna ista rebellione vix non deletus, prudentius ac moderatius controversias tractare incepit, nec amplius puritanis suis adeo morem gerentes tum praesules tum doctores de omnibus quae in quaestione versabantur magis theologico more disputabant. Sane aliud sonat Bramhalli defensio quam superiorum vel etiam Masoni declamationes. Angli quidem ecclesiastici causa religionis eis temporibus exsulantes cum praelatis et doctoribus Gallicanis non parva familiaritate et caritate utebantur, nec defuerunt qui de ministerio atque ordinibus exsulum benevolentissime sentirent.

276. Sub eisdem temporibus duo saltem casus Romam relati nobis examinandi videntur.

Stephanus Goffe, qui regi Carolo I. a sacris fuerat, patribus Oratorii Parisiensibus sese adiungere exsul cupiebat. Quidam narrant eum aliquod tempus sacerdotium cum assensu antistitis saltem tacito exercuisse; id vero vix satis compertum. Constat autem quaestionem de eius statu et charactere fuisse ventilatam[1], quam Sorbonicos affirmative disceptasse scriptores contemporanei testantur; sed consulta S. Sede decretum est ex iussu Pontificis Innocentii X. ut subiectus reordinaretur. Haec quae accepimus iam tradimus, nec scimus qua congregatione consulta, quo dubium proponente, quo tempore, quibusve tandem rationibus responsum fuerit. Quocirca in neutram partem multum argumenti ex hoc casu deduci videtur.

277. De altero plura ac certiora testimonia sunt. Jo-

[1] "This business hath been always ventilated even from the beginning of the schism, and of late renewed in the case of D. Goffe at Paris." *An Enchiridion of Faith.* Francis Coventry, Douay, 1655.

hannes Gordon, natione Scotus, ad sedem Candidae Casae seu Galloway, a Johanne Patterson Archiepiscopo Glasguensi aliisque die 4° Februarii, 1688, consecratus est. Mox patria pulsus cum rege Jacobo exsilium patiebatur; post aliquot autem annos Romae moratus a Clemente XI. petiit ut ordines, quos in Scotia recepisset, nulli pronuntiarentur. Res ad S. Cong. S. O. relata est; nec quicquam in pari materia antea definitum inquisitores videntur invenisse. Namque ex rationibus quas in memoriali suo ipse Gordon exposuerat secundum vota decretum est. *Lecto*, enim, *supradicto Memoriali Ssmus D. N. P. praedictis auditis votis eorundem Emmorum decrevit quod praedictus Joannes Clemens Gordon orator ex integro ad omnes ordines etiam sacros et presbyteratus promoveatur.* Quae vero hae rationes? Legatur ipsum memoriale[1], quod a procuratoribus rerum Romanarum peritis compositum fuisse vix dubitandum est[2]. Nullum responsum decretumve antea datum invenies; nihil quod iuris peritus ex Curiae praxi innodare soleat. Ritum Anglicanum iam pridem damnatum esse nullubi apparet. Novis igitur rationibus adducta S. Congregatio in casu reordinationem decrevit. Et quales illae? Nempe fabellam istam de consecratione tabernaria repetit orator, cui tamen et ipse quaedam fingendo addidit, Parkerum quemdam fuisse *laicum*[3], quem Scory in genua procumbere iuberet, et apprehensa dextra, *Eia*, inquiat, *Domine Episcope Cantuariensis surge.* Deinde Anglicanis obicit "defectum materiae, formae, et intentionis debitae. Nulla enim materia utuntur, nisi forte traditione Bibliorum; nulla forma legitima: imo formam Catholicorum abiecere, et commutavere in hanc: *Accipe potestatem praedicandi verbum Dei, et administrandi sancta eius Sacramenta;* quae essentialiter differt a formis orthodoxis." Nimirum

[1] Habetur apud Le Quien, tom. 2, p. lxix. In *Le Canoniste Contemporain*, Décr. 1894, p. 720, Boudinhon plane docet hanc S. C. S. O. responsionem a sola fabula cauponaria pendere, neque idcirco ullum valorem hodie habere.

[2] "Any one presenting a memorial to such a tribunal as the Inquisition, particularly a convert, and a stranger to the official ways of Rome, would have been completely in the hands of his advisers." Estcourt, p. 157.

[3] Parker iuxta vetera Pontificalia ante primum dissidium ortum, 15 Junii 1527, sacerdotio obsignatus est.

rationem ritus plane falsam et ludicram reddit, nec iam post Morini lucubrationes plus quinquaginta annis manuum impositionis mentionem facit. Denique rogat "quae intentio ab illis formari potuerit, qui negant Christum aut primam Ecclesiam ullum incruentum instituisse sacrificium?" Rationem iam paulo spectatiorem affert, quam tamen absurdissimam redigit. Quicquid enim de S. Missae Sacrificio nonnulli senserint, quis tandem Anglicanus huiusmodi negationem *sacrificium* cuiusvis generis *incruentum* adimentem protulit[1]?

278. Cum vero talibus rationibus innitatur responsum a S. Congregatione in casu singulari datum, nemo sane dicet totam quaestionem S. Ecclesiae Romanae auctoritate diremptam esse. Nec postea, cum Benedictus XIII. libros Courayerii damnaret, quicquam in hac parte disceptavit, neque ullam hucusque definitionem ad ordinationes Anglicanas generatim spectantem a sede Apostolica emanasse credimus. Ergo eiusdem Ecclesiae praxis in hac re non a sententia definita, non a certis testimoniis, non a critico ritus examine dependet, sed a fabulis et fictis narrationibus quas nemo non spernit historicus, a dubiis quae brevi indagatione solventur, ab erroribus in ritu interpretando admissis, ab iniqua morum Anglicorum aestimatione, infaustam originem habuit. Proinde ex ipsa praxi promanat opinio de ordinationum nullitate. Causae quaeruntur; hic illic inveniuntur. Non easdem referunt auctores; quippe inter se contrarias non rari innectunt. Quae nobis graviores videntur expendimus; nugatorias facilem triumphum aspernantes omisimus.

279. Hunc finem disputandi ponemus. Indigni qui matris nostrae Ecclesiae defensionem agamus, id saltem speramus nos consecutos, ut rem valde contentiosam citra modum caritatis tractaverimus. In pacem contendimus atque unitatem Ecclesiae Catholicae. Non quidem de hierarchia tantum scimus esse quaestionem qua distrahantur fideles, neque huius nisi primordia tangimus; nihil de missione, nihil fere de hierarchia iurisdictionis disputatum. Hoc unum in discrimine nunc ponitur, ut sacri Ordines, quibus initiati sumus, inconcussi stare videantur; quibus salvis alia quaeque multo facilius

[1] Vide quae de his in capite quinto disseruimus, nn. 189 seqq.

comparabuntur. Hos autem si quis tetigerit tanget nobis pupillam oculi. Itaque si quando acerbius aut nimio cum fervore haec disputasse videamur, sit nobis venia. Nostras partes ipsi defendimus; imo potius commissa nobis tuemur: quas confecimus Eucharistias, quae gratiae nobis collatae sunt, quae peccatorum remissiones, lacrimas poenitentium, animarum gaudia refectarum; omnia denique bona quae ex vera sacramentorum participatione proveniant. Nec nostra tantum tuemur; totus enim coetus fidelium vires ex eo colligit quod gratia S. Spiritus in omni parte resideat. Ecclesiae non modo Anglicanae sed Universae partes defendimus.

Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia Sancta Dei; ut eam Deus et Dominus noster pacificare, adunare, et custodire dignetur toto orbe terrarum: subiciens ei principatus et potestates: detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem Omnipotentem.

APPENDIX I.

TABULA CONSECRATIONIS WILLELMI LAUD.

280. Hic in Tabula reposuimus nomina episcoporum a quibus Willelmus Laud, Archiepiscopus Cantuariensis, stirpem suam spiritualem habuit, quo facilius appareat eum non modo a Parkero éiusque consecratoribus characterem episcopalem derivasse, sed etiam (1°) a Marco Antonio de Dominis, qui in sedem Siniensem in Dalmatia consecratus, deinde in Spalatensem translatus, aliquot annos regnante Jacobo I. in Anglia profugus demorabatur, et decanatum Windesorensem obtinuit; et (2°) ab episcopis Hibernicis qui per Hugonem Curwen, Archiepiscopum Dubliniensem, ab Edmundo Bonner, Thoma Thirlby, et Mauritio Griffin, tempore Mariae Reginae consecratum, antiquam successionem Anglicanam in alia quoque linea continuarunt.

Omnia quae de episcopis Anglicanis hic narrantur e *Registro Sacro Anglicano* eruditissimi dom. Willelmi Stubbs, in Universitate Oxoniensi olim Historiae Modernae Professoris, nunc autem Oxoniensis episcopi, desumpsimus.

De consecrationibus episcoporum Hibernicorum consuluimus Cotton: *Fasti Ecclesiae Hibernicae.*

N.B. Nomina quae altera vice apparent litteris Italicis sine ulla personae descriptione exprimuntur.

Nomina eorum quorum stemmata non ulterius sequemur litteris uncialibus exprimuntur.

I.

Willelmus Laud, cs in Menevien. Epum 18 Nov. 1621; trs in Bathonen. 1626, in Londinien. 1628, in sedem Metrop Cantuarien. 1633. Eum consecraverunt —

- Georgius Monteigne, Londinien. cs in Lincolnien. 14 Dec. 1617; trs in Londinien. 1621; quem consecraverunt —
- Johannes Thornborough, Vigornien. cs in Limericen. in Hibernia, 1593; trs in Vigornien. 1616
- Nicolaus Felton, Elien. cs in Bristolien. 14 Dec. 1617; trs in Elien. 1619; quem consecrarunt —
  - G. Abbott, Cantuar. cs in Licefelden. 3 Dec. 1609; trs in Londin. 1610, in Cant. 1611; q. c. —
    - Ric. Bancroft, *vide* II
    - *Lanc. Andrewes*
    - Ric. Neile, *vide* III
  - Marcus Antonius de Dominis, Spalaten. cs in Sinien. in Dalmatia, 1600; trs in Spalaten. 1602
  - Joh. King, Londinien. cs 8 Sept. 1611; quem consecrarunt —
    - *Geo. Abbott*
    - *Ric. Neile*
    - Aegid. Tomson, *vide* IV
    - *Joh. Buckeridge*
  - Lancelot. Andrewes, Elien. cs in Cicestren. 3 Nov. 1605; trs in Elien. 1609; quem consecrarunt —
    - *Ric. Bancroft*
    - Ric. Vaughan, *vide* II
    - Joh. Jegon, *vide* V
    - Thomas Ravis, *vide* III
    - Will. Barlow, *vide* VI
  - Joh. Buckeridge, Roffen. cs 9 Jun. 1611; quem consecrarunt —
    - *Geo. Abbott*
    - Joh. Bridges, *vide* IV
    - *Lanc. Andrewes*
    - Jac. Montagu, *vide* IV
    - *Ric. Neile*
  - Joh. Overall, Licefelden. cs 3 Ap. 1614; quem consecrarunt —
    - *Geo. Abbott*
    - *Joh. King*
    - *Jac. Montagu*
    - *Ric. Neile*
- Georgius Carleton, Cicestren. cs in Landaven. 12 Jul. 1618; trs in Cicestren. 1619; quem consecrarunt —
  - *Geo. Abbott*
  - *Joh. King*
  - *Joh. Buckeridge*
  - *Joh. Overall*
  - *Georgius Monteigne*
- Johannes Howson, Oxonien. cs 9 Mai. 1619; q. cscrunt —
  - *Geo. Abbott*
  - *Joh. King*
  - *Joh. Buckeridge*
  - Thomas Morton, Licefelden. cs in Cestrien. 7 Jul. 1616; trs in Licefelden. 1619; q. cscrunt —
    - *Geo. Abbott*
    - Christopher Hampton, *vide* VII
    - *Joh. King*
    - *Joh. Buckeridge*
    - *Joh. Overall*
    - Alex. Forbes, Cathanen. in Scotia, cs 1611
- Theophilus Field, Landaven. cs 10 Oct. 1619; q. cscrunt —
  - *Geo. Abbott*
  - *Joh. King*
  - *Joh. Buckeridge*
  - Ricardus Milburne, Menevien. cs 9 Jul. 1615; q. cscrunt —
    - *Geo. Abbott*
    - *Joh. King*
    - *Lanc. Andrewes*
    - *Joh. Buckeridge*
    - *Joh. Overall*
  - Georgius Downham, Derren. in Hibernia; cs. 1616

II.

- Ricardus Bancroft, Cantaurien. cs in Londinien. 8 Mai. 1597; trs in Cantuarien. 1604. Eum consecraverunt——
  - Johannes Whitgift, Cantuarien. cs in Vigorn. 21 Ap. 1577; trs in Cantuarien. 1583; q. cscrunt——
    - Edmundus Grindal, Cantuarien. cs in Londinien. 21 Dec. 1559; trs in Eboracen. 1570, in Cant. 1575; q. cscrunt——
      - MATTHAEUS PARKER, Cantuarien. cs 17 Dec. 1559
      - WILLELMUS BARLOW, cs in Menevien. 1536; trs in Bathonen. 1548, in Cicestren. 1559
      - JOHANNES SCORY, cs in Roffen. 30 Aug. 1551; trs in Cicestren. 1552, in Herefordeu. 1559
      - JOHANNES HODGEKYN, Bedforden. cs 9 Dec. 1537
    - Johannes Aylmer, Londinien. cs 24 Mart. 1577; q. c.——
      - *Edm. Grindal*
      - Eduinus Sandys, *vide* VIII
      - *Joh. Piers*
    - Robertus Horn, Wintonen. cs. 16 Feb. 1561; q. cscrunt——
      - *Matthaeus Parker*
      - *Edm. Grindal*
      - Thomas Young, *vide* IX
      - Thomas Bentham, *vide* X
    - Ricardus Curteis, Cicestren. cs 25 Mai. 1570; q. cscrunt——
      - *Matt. Parker*
      - *Edm. Grindal*
      - *Robertus Horn*
      - Edm. Gheast, *vide* X
  - Johannes Young, Roffen. cs 16 Mai. 1578; quem consecrarunt——
    - *Edmundus Grindal*
    - *Joh. Aylmer*
    - Joh. Piers, Sarisburien. cs in Roffen. 15 Ap. 1576; trs in Sarisb. 1577; q. c.——
      - *Edm. Grindal*
      - *Eduinus Sandys*
      - *Robertus Horn*
  - Antonius Rudd, Menevien. cs 9 Jun. 1593; q. cscrunt——
    - *Joh. Whitgift*
    - *Joh. Young*
    - Ric. Fletcher, Vigornien. cs in Bristolien. 14 Dec. 1589; trs in Vigorn. 1593; quem consecraverunt——
      - *Joh. Whitgift*
      - *Joh. Aylmer*
      - *Joh. Young*
      - Joh. Bullingham, *vide* XII
  - Ricardus Vaughan, Bangoren. cs 15 Aug. 1596; trs in Cicestren. 1597, in Lond. 1604; q. c.——
    - *Joh. Whitgift*
    - *Ric. Fletcher*
    - *Joh. Young*
  - Antonius Watson, Cicestren. cs 15 Aug. 1596, q. cscrunt——
    - *Joh. Whitgift*
    - *Ric. Fletcher*
    - *Ric. Vaughan*
    - Thomas Bilson, Vigornien. cs 13 Jun. 1596; q. cscrunt——
      - *Joh. Whitgift*
      - *Ric. Fletcher*
      - Will. Day, *vide* XIII
      - *Ric. Vaughan*

III.

Ricardus Neile, cs in Roffen. 9 Oct. 1608; trs in Licefelden. 1610. Eum consecraverunt——
- *Ric. Bancroft*
- Thomas Ravis, Londinien. cs in Glocestren. 17 Mart. 1604; trs in Lond. 1607; quem consecrarunt—
  - *Ric. Bancroft*
  - Tobias Matthew, Dunelmen. cs 13 Ap. 1595; q. cscrunt——
    - MATTHAEUS HUTTON, Eboracen. cs in Dunelm. 27 Jul. 1589; trs in Eboracen. 1595;
    - *et alii*
  - *Ant. Watson*
- *Lanc. Andrewes*

IV.

Aegidius Tomson, Glocestren. cs 9 Jun. 1611. Eum consecraverunt——
- *Geo. Abbott*
- Johannes Bridges, Oxonien. cs 12 Feb. 1604; q. cscrunt——
  - *Joh. Whitgift*
  - *Ric. Bancroft*
  - *Tob. Matthew*
  - *Joh. Young*
  - *Ant. Watson*
- *Lanc. Andrewes*
- Jac. Montagu, Bathonen. cs 17 Ap. 1608; quem cscrunt——
  - *Ric. Bancroft*
  - *Thomas Ravis*
  - Henricus Cotton, Sarisburien. cs 12 Nov. 1598; q. cscrunt——
    - *Joh. Whitgift*
    - *Ric. Bancroft*
    - Will'mus Overton, *vide* XI
    - *Anton. Watson*
  - *Will. Barlow*, Roffen.
  - *Lanc. Andrewes*
  - Henricus Parry, Glocestren. cs 12 Jul. 1607; q. cscrunt——
    - *Ric. Bancroft*
    - *Thom. Ravis*
    - *Will. Barlow*, Roffen.
    - *Lanc. Andrewes.*
- *Ric. Neile*

V.

Johannes Jegon, Norvicen. cs 20 Feb. 1603. Eum consecraverunt——
- *Joh. Whitgift*
- *Ric. Bancroft*
- *Joh. Young*
- *Ant. Watson*

VI.

Willelmus Barlow, Roffen. cs 30 Jun. 1605. Eum consecraverunt——
- *Ric. Bancroft*
- *Ric. Vaughan*
- *Ant. Watson*
- *Thomas Ravis*

VII.

Christopherus Hampton, Armachen. cs 8 Mai. 1611. Eum consecraverunt——
- Thomas Jones, Dublinien. cs in Meden. in Hibernia, 1584; trs in Dublinien. 1605; q. cscrunt——
  - Adam Loftus, Dublinien. cs in Armachen. 1562; trs in Dublinien. 1567; q. c.——
    - HUGO CURWEN, Dublinien. cs 8 Sept. 1555; trs in Oxonien. 1567; quem consecraverunt
      - EDMUNDUS BONNER, Londiniensis
      - THOMAS THIRLBY, Eliensis
      - MAURITIUS GRIFFIN, Roffensis.
  - *et alii*
- GEORGIUS MONTGOMERY, Meden.
- WILLELMUS PILSWORTH, Kildaren. cs 11 Sept. 1604
- JOHANNES RIDER, Aladen. cs 12 Jan. 1612

VIII.

Eduinus Sandys, cs in Vigornien. 21 Dec. 1559; trs in Londinien. 1570, in Eboracen. 1577. Eum consecraverunt—
- *Matthaeus Parker*
- *Willelmus Barlow*
- *Joh. Scory*
- *Joh. Hodgekyn*

IX.

Thomas Young, cs in Menevien. 21 Jan. 1560. Eum consecraverunt—
- *Matt. Parker*
- *Edm. Grindal*
- Ricardus Cox, Elien. cs 21 Dec. 1559; q. cscrunt—
  - *Matt. Parker*
  - *Will'mus Barlow*
  - *Joh. Scory*
  - *Joh. Hodgekyn*

X.

Thomas Bentham, cs in Licefelden. et Edmundus Gheast, cs in Roffen. 24 Mart. 1560. Eos consecraverunt—
- *Matt. Parker*
- Nicolaus Bullingham, Lincolnien. cs 21 Jan. 1560; quem consecraverunt—
- Johannes Juell, Sarisburien. cs 21 Jan. 1560; q. c.—
  - *Matt. Parker*
  - *Edm. Grindal*
  - *Ricardus Cox*
  - *Joh. Hodgekyn*

XI.

Willelmus Overton, Licefelden. cs 18 Sept. 1580. Eum consecraverunt—
- *Edmundus Grindal*
- *Joh. Aylmer*
- *Joh. Young*

XII.

Johannes Bullingham, Glocestren. cs 3 Sept. 1581. Eum consecraverunt—
- *Edmundus Grindal*
- *Joh. Aylmer*
- *Joh. Young*

XIII.

Will'mus Day, Wintonen. cs 25 Jan. 1596. Eum consecraverunt—
- *Joh. Whitgift*
- *Ric. Fletcher*
- *Joh. Young*

APPENDIX II.

DE ELECTIONIBUS.

281. Plebem laicalem episcoporum suorum electioni antiquitus suffragari solitam fuisse constat ex scriptis S. Cypriani, qui *suffragium populi* (Ep. lix.) et *suffragium plebis* (Ep. lxviii.) memorat. Postmodum in quibusdam regionibus ad Principes ius eligendi gradatim transiit, cuius rei causa fuit maxima ex parte auctoritas in republica quae Praelatis indies increscebat. In Anglia a principio Saxonici imperii electiones penes Regem et Archiepiscopum fuisse videntur; mox a senatu, seu *witan*, S. Wilfridum, S. Ceaddam aliosque electos fuisse notum est (Bright, *Early English Ch. Hist.*, p. 443), in quo senatu Praelati clerum universum repraesentabant. S. Dunstani opera effectum est ut a concilio Wintonensi ius eligendi Capitulis Ecclesiarum Cathedralium confirmaretur (Lingard, *Anglo-Saxon Church*, ii. p. 272), sed vestigia eiusmodi electionis pauca admodum exstant, atque in praxi haud multo post ingravescebat sub rege Canuto eiusque successoribus consuetudo promovendi episcopos ex solo regio mandato cum investitura per annulum et baculum. S. Edwardus Confessor episcopos per Cartam Regiam nulla adhibita electione nominare solebat. Willelmus Conquestator eadem consuetudine usus episcopatus aliasque praelaturas totius regni Normannis suis donabat.

282. Regnante Henrico I. cum S. Anselmus contra *investituram per annulum et baculum*, in conciliis Barensi (A.D. 1097) et Romano (A.D. 1099) ipso assistente damnatam, strenue dimicasset, utrimque tandem aliquid concessum est; quo pacto quilibet in episcopatum promotus *feodalitatem* atque *homagium*, tanquam munera civilia, pro restitutione temporalium facere debebat; *annulum* vero et *baculum*, utpote qui iurisdictionis spiritualis insignia forent, a rege donari prohibitum est (Lingard, *History of England*, vol. ii. p. 9, ed. 6). Hinc evenit adumbratio quaedam iuris electionis canonicae a capitulis vindicati atque interdum sub regia ditione exerciti (Stubbs, *Constitutional History*,

vol. iii. p. 303, ed. 4). Stephanus excepto regno iuri canonicae promotionis expressius annuit, quo regnante clerus non sine successu contendit ut ius suum teneret. Henricus II. et Ricardus I. formam electionis stricte coarctatam tuebantur (Stubbs, *l. c.*).

283. Johannes tandem, ut cleri favorem contra proceres laicos sibi conciliaret, cartam pro libera electione dedit (Lingard, *History of England*, vol. ii. p. 171), quam per Magnam Cartam postea, A.D. 1215, confirmavit. Quae tamen libertas in ius litigandi potissimum exiit. Henricus III. neque auctoritate digna nec prospero eventu electiones capitulares dirigere conatus est; raro electi sunt candidati ab eo nominati; Papa magnam appellationum messem fecit (Stubbs, *op. cit.* p. 315). Quibus appellationibus effectum est ut Pontifices Romani per modum *providendi* promotiones ad episcopatus multas sibi arrogarent (Lingard, *op. cit.* iii. 128), quo facto tanta totius regni indignatio exarsit, ut abusus tollendi causa statutum contra *provisores* regnante Edwardo III. latum fuerit (25 Edw. III. cap. 6). Nimirum per iura regni tantus auctoritatis pontificiae abusus nunquam toleratus fuerat; imo ex iuris consultorum sententia communissima "omnes episcopatus antiquitus fuere beneficia *donativa* regni, quae scilicet princeps, nulla habita electione, immediate conferebat. Id communiter asseruerunt et *Sir Edward Coke* et Justiciarii Regni in *Libris annalibus* annorum sexti et septimi decimi Edwardi III. (A.D. 1332 et 1343)" (Lord Selborne, *A defence of the Church of England against Disestablishment*, p. 18, ed. 3). Attamen pontifex per Litteras Bullatas, quae ad consecrandum episcopum necessariae factae erant, electionibus saltem indirecte magna cum auctoritate interfuit. Tandem regnante Henrico VIII. per statutum *de Annatibus non reddendis* (25 Hen. VIII. cap. 20) prohibitum est ne quis huiusmodi Litteras Bullatas e curia Romana obtineret. Eodem statuto modus antiquus eligendi per licentiam regiam cum *Litteris missivis* quibus contineretur nomen personae eligendae datam expresse continuatus est, quo factum est ut eiusmodi *Litterae missivae* tum primum lege scripta sancirentur (Dixon, *History of the Church of England*, vol. i. p. 184 in nota).

284. Le Courayer ostendit Reges Franciae eodem fere privilegio olim usos esse. Namque capitulum sede vacante petebat a rege licentiam eligendi, qua data cum commendatione cuiusdam qui eligeretur, vix semel contra regiam voluntatem itum est. Denique de electione certior factus rex ad Metropolitanum, ut Electum consecraret, litteras expedire solitus est, quibus Electi promotionem, non obstante iure capitularis electionis, sibi ipsi constanter tribuebat. Nimirum omnes ubicunque reges electiones episcoporum in praxi sibi arrogasse docet, verbis doctissimi viri Sismondi citatis, "Postquam in Gallia, vel in aliis gentibus, pulsis Romanis, exorti sunt reges, fecit episcoporum apud omnes dignitas eximia ut sua interesse principes ducerent, illos nisi arbitratu et voluntate sua non creari" (*Défense*, Preuves, Art. xxiii.).

285. Eadem tradit Van Espen (P. i. Tit. xiii. cap. 3). "Licet saeculo

13 electiones episcoporum ad capitula cathedralia fuerint devolutae; atque inter alios S. Ludovicus Galliarum Rex in sua Sanctione Pragmatica anno 1268 decrevisset, *Item Ecclesiae Cathedrales et aliae Regni nostri liberas electiones, et earum effectum integraliter habeant;* nequaquam tamen hae electiones sine licentia ac inspectione Principis peragebantur. ..Sive autem electioni faciendae consensum Principis exspectare deberent Capitula, sive electionis factae approbationem, semper tamen natum erat contingere ut non alius eligeretur, ut admitteretur, nisi quem Princeps cupiebat....Facile eis erat sua auctoritate aut precibus interpositis a capitulis impetrare ut illum in episcopum eligerent, quem Principes desiderabant. Porro cum viderent per reservationes Pontificias Praelatorum nominationes ad Curiam Romanam devolutas....omni conatu studioque illis reservationibus sese opposuerunt, atque canonicas electiones restitui voluerunt, suamque quam in his iampridem habuerunt auctoritatem reduci." Et paulo post addit haec:—"Principes nostri, cum ad episcopatum aliquem nominant praefantur se id facere vigore *Regaliae*, *Indulti Apostolici*, seu quovis alio iure sibi competente."

286. Huiusmodi igitur interpellatio omnibus fere Principibus Christianis communis fuit; neque aliam potestatem sibi arrogarunt reges Angliae, quam quae et aliis annuente Ecclesia competebat.

APPENDIX III.

DE REGISTRO PARKERANO.

I. *Descriptio Critica.*

287. Registrum Parkeri duobus voluminibus continetur, quorum in priore, paginas 411 amplectente, plurima de variis negotiis acta minutius memorantur. In folio primo describuntur coloribus aptis insignia heraldica archiepiscopi; in secundo adhibetur litteris Gothicis titulus totius voluminis, qui his verbis exponitur:—

"*Registrum Reuerendissimi in Christo Patris et D'ni D'ni Matthei Parker, in Archie'pum Cantuarien. per Decanu. et Cap't'lm. Eccl'iae Cath. et Metropolitice XPi Cantuarien. p'dict. vigore et auc'te Licentie Regie eis in hac p'te fact., primo die Mensis Augusti anno D'ni millesimo quingentesimo quinquagesimo nono electi, ac p'. reuerendos p'res D'nos Will'um Barlowe nup. Bathon. et Wellen. E'pum, nu'c electum Cicestren., Joh'em Scory dudu. Cicestren. E'pum, nu'c electu. Hereforden., Milone Coverdale quo'da. Exon. E'pum, et Joh'em Hodgeskyn E'pum suffraganeu. Bedforden., vigore L'raru. Commissionaliu. Regiaru. Paten. eis directaru. nono die mensis Dece'bris tunc prox. sequen. confirmati, necno. p'. ip'os Reuerendos P'res auc'te p'dict. decimo septimo die eiusdem me'sis Dece'bris co'secrati, Anthonio Huse armigero tunc Reg'rario Primario dicti Reuerendissimi P'ris.*"

288. In ima pagina, haec verba alia manu accesserunt:—

"*Primo die mensis Junii anno D'ni* 1560 *praefatus Anthonius Huse mortem obiit, cui successit Johannes Incent in officio Reg'rariatus praedict.*

Dictus Reuerendissimus Mattheus Parker Archie'pus Cantuarien. xvii°. die mensis Maii anno D'ni 1575 *in aurora, apud Lambehith mortem obiit et diem suum clausit extremu.*"

289. Exinde sequuntur documenta de ipsius Parkeri confirmatione ac consecratione redacta, quae foliis 3—11 continentur. Ita se habent :—

(1) ACTA HABITA ET FACTA IN NEGOCIO CONFIRMAC'O'IS ELEC*tionis venerabilis et eximii viri mag'ri Matthei Parker Sacre Theologie professoris in Archie'pum Cantuarien. electi etc.:* a Francisco Clerke, notario publico, propter absentiam Antonii Huse registrarii digesta; quibus per modum narrationis fusius explanatur *dominos commissionarios* in Ecclesia parochiali Beatae Mariae de Arcubus sedentes, *facta trina publica praeconizatione omnium ac singulorum oppositorum ad foras ecclesiae, et nullo eorum comparente, nec aliquid in hac parte opponente,* post alia omnia ex antiqua consuetudine Ecclesiae facta, tandem tulisse et promulgasse *sententiam diffinitivam* confirmationis ; postremo autem decrevisse *ip'um Reuerendissimu. d'nm. electum et confirmatum consecrandum et benedicendu' fore,* cum aliis eiusmodi quae in usu fuerunt.

(2) Deinde verbatim referuntur instrumenta sequentia.

(a) *L're patentes de assensu regio electioni adhibit.*

(b) *Procuratoriu. Decani et Cap't'li Cantur.* quo ostensum est decanum et canonicos Ecclesiae Cathedralis capitulariter congregatos, *de unanimi assensu et consensu* suo, quattuor viros procuratores nominasse ad omnia expedienda, quae iure necessaria essent, ut electio rata fieret.

(c) *Procur. dicti d'ni electi*, sc. Parkeri.

(d) *Citatio contra oppositores etc.*, sexto die Decembris 1559 edita et promulgata, qua omnes ac singuli, (*si qui essent*) *qui contra dictam electionem, seu formam eiusdem, personamve electam, dicere, vel opponere voluerint*, evocati et citati fuerunt, ut nono die eiusdem mensis coram commissionariis comparerent.

(e) *Prima schedula lecta contra oppositores*, quos *l'time et peremptorie citatos sepius pu^ce preconizatos, diuq; et sufficienter expectatos, et nullo modo comparentes* commissionarii contumaces pronunciarunt.

(f) *Summaria petitio* Decani et Capituli ad iv episcopos commissionarios, in duodecim articulos digesta, quibus ostensum est sedem archiepiscopalem *per obitum bone memorie d'ni Reginaldi Cardinalis Pole nu'cupati ultimi Archie'pi Cantuarien.* nuper vacasse; decanum vero et capitulum capitulariter congregatos *et plenu. Cap't'lm facientes, servatis primitus per eos de iure et d'ce Eccl'ie consuetudine servandis, unanimiter et concorditer nullo eorum contradicente* ad electionem futuri Archiepiscopi *per viam seu forma. compromissi* processisse; Matthaeum Parker hoc modo electum acceptum et approbatum fuisse ; electionem coram clero et populo in ecclesia Metropolitica debito more publicatam et declaratam fuisse; omnia denique quae in huiusmodi electione usitata forent rite ac legitime facta esse ; quapropter petitum est ut electio cum effectu confirmaretur, etc.

(g) *Processus electionis* a Johanne Incent notario publico accuratissime ac minutissime digestus, ex quo liquet omnia facta esse *iuxta*

morem preteriti temporis ac statuta et laudabiles consuetudines Eccl'ie pred'ce hactenus ab antiquo in ea parte usitat. et observat.

(h) *Instrumentu. super consensu D'ni electi.*

(i) *Depositiones testiu.*, Johannis Baker et Willelmi Tolwyn, de eis quae in summaria petitione memorata erant.

(k) *S'c'da schedula contra oppositores*, poenam contumaciae contra oppositores non comparentes eisdem fere verbis ac prima schedula decernens.

(l) *Juramentu. de agnoscend. suprema. p'tatem Regia.* quo fidem suam reginae obstrinxerat Electus. Anglice scriptum est.

(m) *S'n'ia Diffinitiva* confirmationis.

(3) RITUUM ET CEREMONIARUM ORDO IN CONSECRATIONE REUER-*endissimi D'ni Matthei Parker, Archie'pi Cantur. in Capella infra Manerium suu. de Lambehith die d'nico viz. decimo septimo die mensis Decembris, anno D'ni mill'imo quingen° quinquagesimo nono.*

Ritus cum omnibus et minutis circumstantiis accurate describitur. Forma consecrationis ipsis verbis quibus prolata est Anglice refertur.

(4) *Mandatu. directu. Archi'no Cantuarien. ad inthronizand. dictu. d'nm Archie'pum*, datum Londini ultimo die Decembris, 1559, quo Archidiaconus, ad quem id munus ex antiqua consuetudine pertinebat, iussus est inducere investire installare et inthronizare Archiepiscopum iam pleno iure consecratum. Nominibus quattuor episcoporum consecrantium datum est.

(5) *Aliud mandatu. factu. p. dictu. Archidiaconu. ad effectu. p'dictu.*, nempe ad inthronizandum Parkerum, quod cum ipse adesse nequiret per commissionem faciendum curavit. Hoc datum est primo die Januarii, anno D'ni *iuxta computationem Eccl'iae Anglicanae* 1559, scilicet iuxta computationem hodiernam 1560.

(6) *Procuratoriu. d'ni Archie'pi ad petend. et obtinend. intronizatione'.*

290. Talia se habent acta de ipsius Parkeri promotione. E priore volumine Registri quod restat in hos titulos dividitur :—

(i) *Confirmationes et consecrationes* episcoporum usque ad Edmundum Freake, Roffensem, (3 et 9 Martii, 1572) inclusive, *foliis* 12 *a*—145 *b*. Acta vero de Edmundo Freake inferius *foliis* 213 *b*—214 *b*, loco hic deficiente, adimplentur.

(ii) *Inductiones*, &c. ab Archiepiscopo per totam provinciam sedibus vacantibus intra annos 1559—1572 factae; *foll.* 146 *a*—212.

(iii) *Commissiones* sub eisdem annis datae, quibuscum ordinationes memorantur, (1°) usque ad 28 Maii, 1560, Antonio Huse primario registrario, *foll.* 217 *a*—221 *a*; et (2°) inde ab 2 Junii, 1560, Johanne Incent hoc munere fungente, *foll.* 221 *a*—299 *b*.

(iv) *Visitationes, foll.* 301—339 *b*.

(v) *Inductiones* in propria Archiepiscopi dioecesi sub eisdem annis factae, *foll.* 340 *a*—411 *a*.

In altero volumine sub eisdem quinque titulis acta memorantur usque ad Parkeri mortem. Accedit et Registrum Sedis Vacantis usque dum Grindal in primatum promotus fuerit.

Volumina ab initio integra fuisse, neque ex foliis post mortem Archiepiscopi religatis (id quod constat de Cranmeri Registro) composita, liquet ex eis quae de actis consecrationis Edmundi Freake superius rettulimus.

291. Hanc Registri descriptionem a viro doctissimo A. W. Haddan accuratissime elaboratam ex annotationibus eius in Bramhall (*Works*, ed. 1844, vol. iii. p. 173) desumpsimus[1]. Idem post annos viginti quinque de huius Registri falsandi accusatione his fere verbis disseruit (*Apostolical Succession*, pp. 198–9). "Falsarius eo praestigiarum pervenisse videtur, ut intra annos 1604–13 plurima documenta serie inter se connexa, per multas ambages sibimet atque omni notitiae rerum ad amussim congruentia, primum quidem finxerit, deinde in propria tabularia Cantuariae, Lambethae, Londini, Cantabrigiae, Tiguri, quorum ne unum quidem administraret, nonnulla prorsus ignoraret, atque in archiva episcopalia et capitularia totius Angliae, omnibus insciis introduxerit; quae omnia tam exquisita arte perfecerit, ut figmenta quae Parkeri Registro alia alibi inseruit non modo cum ceteris actis ibidem relatis perinde ac si genuina fuissent cohaerere, sed etiam (quod mirabilius) cum alia multitudine documentorum, quae ne inspicere quidem potuisset, singillatim convenire docuerit."

292. Porro amovetur suspicio quin haec acta de ipso Parkero digesta volumini quo continentur pro veris supposita fuerint; namque, ut docet idem Haddan in Bramhall (*loc. cit.*), totum integrum esse liquet ex hisce inter alia argumentis:—

(1) Quod istinc referendae dicuntur minutiae rerum in duodecim consecrationibus sequentibus gestarum, quarum ultima fol. 80*a* memoratur;

(2) Quod scripta sunt eodem chirographo atque ea quae immediate sequuntur; *altera manu* accesserunt in margine tituli instrumentorum quos supra citavimus; et *tertia manu* tum aliquot verba (decem ad plus) corrigenda notantur, tum paragraphi de mortibus Antonii Huse ipsiusque Parkeri (*supr.* n. 288) scripti fuerunt;

(3) Quod paginatio continua adhibetur.

293. Nihil tandem esse fatetur Lingard, quod suspicionem falsandi comprobet. "Indagator peritissimus neque in ipsis actis neque in characteribus litterarum neque in colore atramenti vestigium imposturae vel minutissimum invenire potuit" (*Hist. Eng.* vol. vi. pp. 328–9). "An

[1] Notandum est transcripto horum actorum in Op. Bramhall A.D. 1676–7 excuso plurimos typographorum errores irrepsisse, quos in editione anni 1844, quam in manibus habuimus, redactor doctissimus A. W. Haddan corrigendos curavit.

vero credere possumus auctorem huius documenti [sc. actorum de Parkeri consecratione], si adulterinum sit, narrationis tam prolixae fusaeque periculo se commissurum fuisse, cum praesertim per breve quoddam de tempore et loco et ministris consecrationis memorandum proposito suo sufficere potuisset? Nescire vix potuit prae linea unaquaque citra necessitatem addita fore ut falsum facilius detegeretur. Quid amplius? Nempe laborem difficiliorem susceperat quam ut documentum simpliciter adulterinum fingeret, quippe cum scribae qui cetera acta ante quinquaginta annos redegisset[1] chirographum accuratius imitari deberet, cuius si litteris vel modico charactere discrepantes litteras adhibuisset, fraudem suam ipse prodidisset. Attamen res ita se habet; acta consecrationis eodem chirographo ac cetera, necnon atramento eiusdem coloris facturaeque conscripta sunt. Contuleris omnia, nullo discrimine notata invenies. Ecqua testimonia his ampliora intrinsecus adhiberi vel concipi poterunt?" (Idem in *The Birmingham Cath. Mag.* vol. v. pp. 774–5).

II. *Examinatio Obiectionum.*

294. Veritatem Registri tam certis argumentis fulcitam adversarii tamen impugnarunt, qui librum adulterinum esse ex eo ratiocinabant quod doctoribus ex sua parte testimonia de Parkeri consecratione rogitantibus nunquam prolatus fuisset (Bramhall, vol. iii. p. 90). Huic cavillationi sufficiet ut verba Lingardi opponamus:—"Curnam auctores protestantes Registrum regnante Elizabetha testificari debuerunt, quo tempore controversia (velim lectores hoc animadvertant) nondum de *facto* sed potius de *valore* consecrationis Parkeri agitabatur? Huic vero quaestioni Registrum nihil facit. At regnante Jacobo, postquam rumor de ordinatione in diversorio facta inter Catholicos sparsus iam typis vulgatus erat, protestantes ad Registrum naturaliter recurrebant ut demonstrarent quonam modo consecratio confecta fuisset" (*The Birmingham Cath. Mag.* vol. v. p. 711).

295. Ideoque Fitzherberto contra Registrum a Masono prolatum *grandem exceptionem tantisper obtentum iri* reclamante *donec aliquot eruditis, prudentibus, sinceris Catholicis ostenderetur, qui eodem suis oculis perlustrato et rite perpenso, de eiusdem veritate et validitate sententiam et testimonium ferrent*[2], Georgius Abbot Archiepiscopus Cantuariensis, "cum haec apud Fitzherbertum perlegisset, ut eius voto satisfaceret, illico (qua est aequitate) istos viros pontificios accersendos curavit, nempe magistrum Collintonum, quem eo tempore nonnulli archipresbyterum indigitabant, magistrum Laithwait, et Magistrum

[1] Contra eos disputat qui Registrum a Masono post annum 1612 falsatum fuisse suspicabantur.

[2] Fitzherbert; Appendix, n. 13. Cit. a Masono in *Vindiciis Eccl. Angl.* iii. 18, p. 415.

Faircloth, Jesuitas, et Magistrum Leakum, sacerdotem secularem"; et coram quattuor episcopis, die 12° Maii, 1614, ipsum Registrum in medium produxit, atque, "ut oculis diligenter perlustrarent, admonuit." Illi vero codice quantum libuit spectato contrectatoque "ac volumine, charactere, argumento ceterisque rebus omnibus accurate ac sedulo perpensis, tandem aliquando de libri veritate et validitate ferunt testimonium, fatentes sibi quidem videri codicem omni exceptione maiorem" (Mason, *Vindic.* iii. 18, p. 415)[1]. Hos tamen, in carcere id temporis detentos, postmodum rogantes "ut copia illis fieret praefatum codicem liberius atque diligentius inspiciendi," repulsam passos fuisse testatur Champnaeus (*de Vocat. Ministr.* c. xiv. p. 527). Qualem vero repulsam? Nempe "librum illum, de rebus huiusmodi unicum instrumentum, ut appellamus, authenticum, rogarunt et postularunt non modo inspiciendum denuo, sed secum deportandum et privatis scriniis manibusque credendum. Aperte candideque responsum est a reverendissimo Archiepiscopo: Adirent pro arbitrio ipsum in propinquo chartophylacium, sive domum, in qua huiusmodi autographa asservantur: ibi licere illis, inspectante custode instrumentorum publico, haec et alia rerum ecclesiasticarum monumenta inspicere, penitusque perscrutari: libros autem ipsos sede sua dimoveri, ac privatorum, etiam optime affectorum manibus arbitrioque permitti, nefas." Haec Masonus (*op. cit.* p. 417), his in margine additis; "Huic ipsorum petitioni hoc modo iam tum a se responsum probe meminit, ac hodie coram testibus fide dignis recolit dignissimus integerrimusque Dominus Archiepiscopus." Porro notatu dignum est haec testimonia adhuc vivente Archiepiscopo, id quod Le Quien negare voluit, anno 1625 in lucem prodiisse. Abbot enim diem supremum 4[tum] Augusti, 1633, obiit.

296. Cum tamen fidem huius recognitionis quidam ex adversariis detrectare voluerint, haud otiosum erit Lingardum iterum citare; quo iudice, vel ea, quae illi reportarunt, ad veritatem Registri vindicandam planius eveniunt. "Rev. P. Laithwaite nihil aliud affirmare potuit quam quod sententiam certam ferre nequierat. At si talia respondit is cui contra documentum, quod tanti sua interesset adulterinum evincere, opinio praeiudicatissima foret, pro certo habemus nihil in eo fuisse quod suspiciones ingerere seu falsarii operam indicare posset" (*Birm. Cath. Mag.* v. 711).

297. Verumenimvero a disputatoribus hodiernis communiter concessum est nec Masonum neque alium quempiam eodem tempore florentem Registrum falsare potuisse. Attamen quo fidem ei etiamnunc avellant, quidam ex eis dubium novum insinuarunt utrum ipse Liber, qui exstat, acta authentica ac contemporanea contineat. Estcourt (*op. cit.* p. 101 *seqq.*) "circumstantias quasdam grandem suspicionem ei inferentes" adducit. Has *circumstantias* proinde aestimabimus.

298. (*a*) Ac primo quidem obicit *acta minutius exarata* ("its extreme

[1] Conferre licet Godwin, *De Praesulibus Angl.* p. 153.

minuteness"). Quorsum haec? Plane in votis erat prae rerum discrimine ea quae gerebantur exactius memorare. Parkerum et confratres suos omnia quae necessaria essent adhiberi, idque factum omnibus innotescere voluisse liquido apparet ex verbis statuti 8 Eliz. cap. 1, quibus explanatur *universa ad electiones confirmationes consecrationes spectantia tam exquisita diligentia, sinon exquisitiore, ac unquam antea, fuisse peracta, prout archiva regum priorum temporibus atque ipsius Elizabethae tempore composita luculentius testarentur atque ostenderent*[1]. Quid mirum igitur, si Parker acta suae promotionis solito exactius et fusius digerenda curavit?

299. (*b*) Item ostendit duo exstare documenta, cum exstante Registro parum convenientia, quae tamen ex originali Registro transcripta fuisse dicuntur: haec sunt (1) in Chartophylacio Publico (*The State Paper Office*)[2] et (2) apud Collegium Corporis Christi Cantabrigiense e dono ipsius Parkeri asservata. Atqui neutrum horum *e Registro transcripti* titulum prae se fert. *Primum* quidem prolusionem fuisse verisimile est, quae Willelmo Cecil, secretario regio, cuius inter cartas reperta est, examinanda commissa fuerit, antequam in ipso Registro finaliter redigeretur. Ille quidem de modo procedendi, ut supra (n. 11) rettulimus, cum Parkero discussionem inierat, ideoque natum erat eum in consilium vocari quo cautius et exactius processus et factum in Registris iuxta normam legalem describerentur. Itaque si qua verborum varietate documentum istiusmodi ab exstante Registro dissideat, nullum prorsus dubium exinde adoritur quin hoc sit originale atque authenticum. *Alterum* vero nec transcriptum est nec nisi in aliquot minutiis verborum rem gestam minime attingentibus cum Registro discrepat. Ut exemplum adducamus, formam consecratoriam cum impositione manuum impensam Latine refert, *Accipe Spiritum Sanctum, etc.* Quod autem Estcourt (p. 103) putat hoc pro Registro originali scriptum fuisse, nemo inspectione facta credere poterit. In folio enim pergameno lato, quod nulli volumini aptari posset, ad instar Instrumenti formalis redactum est, et post consecrationem descriptam sequitur immediate Commissio pro Waltero Haddon ad praesidendum Curiae Praerogativae. Huius causa statim post consecrationem (nam W. Haddon istam commissionem mense Decembri 1559 recepit, *vide* n. 29) instrumentum redactum fuisse, postmodum vero penes Collegium tanquam consecrationis memoriale a Parkero depositum putamus. (*Cf.* n. 22 *supra.*) In eadem capsa continetur et aliud instrumentum de Parkeri Inthronisatione.

[1] "Everything requisite and material for that purpose, hath been made and done as perfectly, and with as great care and diligence, rather more, as ever the like was done before her Majesties time, as the Records of her Majesties said Father and Brothers time, and also of her own time, will more plainly testify and declare" (8 Eliz. c. 1, § 2 *ad fin.*).

[2] *Dom. Eliz.* Oct. Dec. vol. iii.

300. (*c*) Exinde notat in exstante Registro a norma usitata insigniter variatum esse. In actis consecrationum tam Henrici VIII. quam Edwardi VI. tempore factarum, constanter memoratur quod aut Archiepiscopus aut alius ab eo constitutus principalis consecrator Electo *munus consecrationis impendebat eumque benedixit*; quae formula in actis consecrationum ab ipso Parkero factarum rursus exhibetur. At in actis propriae Parkeri consecrationis nullubi invenitur. Cur haec omissa? Estcourt opinionem insinuat hoc post Bonneri actionem in Curia Regia contra Hornum (de qua n. 14) de industria factum esse quominus appareret Barlovum partes principalis consecratoris gessisse. At vero ecquid inde proventurum erat? In ista actione non de solo Barlovo agebatur. Obiectum erat nullos ex episcopis, qui regnante Elizabetha consecrationibus interfuerant, legitime promotos fuisse. Cuinam igitur bono foret Parkero, si uno consecratore illegitimo celato quattuor illegitimos consecratores prae se ferret? Restat ut veram huius omissionis causam paucis absolvamus. Et *primo* quidem necessario sequebatur ex eo quod, nullo archiepiscopo sedem metropoliticam in Anglia id temporis occupante, quattuor episcopi iuxta statutum 25 Henry VIII. c. 20 (*supr.* n. 10), ad consecrandum Parkerum nominati sunt, quibus aequo iure ministrantibus nemo prorsus erat qui singulariter *munus consecrationis impenderet.* Quocirca neque in actis cautissime digestis huiusmodi verba reperiuntur. *Deinde* notandum est hunc modum procedendi alternatum nunquam antea adhibitum fuisse; nunquam enim post latum statutum defecerat archiepiscopus qui vel per se vel per delegatum *munus consecrationis impenderet.* Quapropter minime mirandum est nullum huiusmodi omissionis exemplum aliunde afferri posse. Contra in Registro memorantur passim in plurali episcopi *quibus munus consecrandi Archiepiscopi delegabatur*, vel *qui eius consecrationi inservirent*, vel *qui eum consecraverant.* Denique consecratores ipsi in mandato suo ad inthronizandum his verbis usi sunt:—"*Munus consecrationis impendimus.*"

301. (*d*) Denique documentum adducit, e MSS. Foxiis in Museo Britannico asservatis (*Harleian MSS.* 419, fol. 149), quod acta consecrationis in Registro exstantia, cum ab eis dissonum videatur, potius surreptitia esse quam originalia demonstrare praetendit. Quid ergo inter haec documenta discrepantiae? Hoc potissimum, quod in Foxio haec verba leguntur;—"*Qui quidem consecrator et assistentes manibus archiepiscopo impositis dixerunt Anglice, Take the Holy Ghost, etc., caeteraque omnia descripta per quemdam libellum editum pro consecracione episcoporum auctoritate per parliamentum anno V° et VI° Edwardi VI^ti^ exercuerunt;*" in Registro autem;—"*post orationes et suffragia quaedam iuxta formam libri auctoritate parliamenti editi apud deum habita Cicestrensis, Herefordensis, suffraganeus Bedfordensis, et Milo Coverdallus manibus archiepiscopo impositis dixerunt Anglice viz. Take the hollie gost, etc.*" Foxium igitur cum Registro ita discrepat ut (1) Barlovum *consecratorem*,

alios *assistentes* perhibeat, et (2) ritum in consecrando usurpatum *Edwardinum* fuisse plane declaret. His innixus auctor demonstrare conatur (i) Foxium ex authentico Registro transcriptum esse, (ii) Registrum autem illud, flagrantibus et actione Bonneri et aliis oppugnatorum convitiis, aut totum aut saltem ex parte fuisse renovatum, adulteratis his locis qui vel Barlovum principalem consecratorem fuisse ostenderent, vel fontem unde ritus derivatus esset expressius quam prudentius indicarent (*l. c.* p. 108). Quibus perpensis, de Barlovo quid respondendum sit iam antea explicavimus. De ritu autem quaerendum est quidnam Bonner aliique obiecerint. Nempe id solum ut ritus adhibitus legum auctoritate careret. Hoc Estcourt concedit (*l. c.* p. 101). At quidem nullus consecrandi ritus reformatus eis temporibus auctoritate parliamenti sancitus erat. Quorsum igitur spectasset omissio verborum quae nomen Edwardi referrent? Nihil inde proventurum erat. Quod restat, Foxium et Registrum de summa rerum optime inter se congruunt,—scilicet quattuor episcopos omnes et materiam et formam consecrationis posuisse, cum non modo manus imponerent sed etiam verba simul una pronuntiarent. Porro Foxium *transcripti* titulum nusquam sibi vindicat. Titulo quidem omnino caret, nisi quod Strype in capite scripserit "*The Consecration of Bp Boner, Abp Parker, etc.*" Verisimile est scriptorem ex Registro facta desumpsisse, quae pro suo arbitrio denuo redigeret, Barlovum, qui partes principales evidenter gessisset, *consecratorem*, alios *assistentes* more solito nuncupasse, et librum, quem usurpatum fuisse nosset, expressius insignisse[1].

302. Talia de Registro frustra cavillantur oppugnatores. Quae ut

[1] Forsitan haec quoque de Estcourti argumento accedere lubebit. Cum in Foxio primum referantur extracta quaedam e Registro de *Bonneri* promotione, opinionem insinuat hoc fuisse instrumentum ad Horni defensionem paratum, quo accusatio Bonneri in ipsum actorem reiceretur, quippe qui et ipse a quattuor episcopis iuxta 25 Hen. VIII. c. 20 non esset consecratus, sed a tribus tantum, mediantibus litteris Cranmeri commissionalibus. At ista clausula statuti non nisi ad *archiepiscopum* consecrandum spectat. Bonner non erat archiepiscopus. Ergo haec clausula eius casum nequaquam attigit. De *episcopo* autem confirmando et consecrando statutum expresse providebat ut Litterae patentes "Archiepiscopo et Metropolitano eiusdem Provinciae infra quam sedes praefati episcopatus vacaret, si modo sedes Metropolitica ab archiepiscopo occuparetur, sin minus alii cuilibet Archiepiscopo intra hoc regnum vel alias sub regis ditione sedem occupanti dirigerentur;" quibus receptis Archiepiscopo licuit commissionem ad consecrandum tribus episcopis iure metropolitico emittere, id quod in praxi communiter fiebat. Ita testatur Sanderus (*De schismate Anglicano*, l. iii. p. 348) neminem regnante Henrico VIII. episcopum fuisse agnitum nisi a tribus episcopis assentiente Metropolitano consecratus fuisset. Imo constat antistites ad minus decem, suffraganeos quinque, per commissiones a Cranmero datas post latum statutum adhuc regnante Henrico fuisse promotos. (Stubbs, *Registrum Sacrum Anglicanum*, pp. 78—80.) Itaque cum nihil huiusmodi Bonnero obici potuerit, Estcourti argumentum evanescit.

summarie dirimantur, animadvertendum est acta quae foliis 3—11 de Parkeri promotione exstant eodem chirographo ac Registra Cranmeri et Cardinalis Poli scripta esse[1]. Cranmero autem et Polo primarius registrarius erat Antonius Huse, qui et Parkero usquedum vivebat itidem inserviens, siglas sui nominis "*A. H.*" registris et Cranmeri et Parkeri aliquotiens apposuit. Unde liquido apparet Antonium Huse eadem manu, aut sua aut scribae cuiusdam officialis, haec omnia scribenda curavisse. Atqui Antonius Huse mortem obiit die 1° Junii, 1560. Ergo acta consecrationis Parkeri in Registro exstantia ante illum diem iam tum digesta erant. Quid amplius? Paragraphus de morte Antonii Huse Registro additus in loco ad imam paginam vacuo altera vel tertia manu, ut supra (n. 292) memoravimus, insertus est. Ergo textum actorum iam antea completum fuisse liquet.

303. His claris atque apertis argumentis adversae partes quid habent obiciendum? Estcourt, Williams, et quidam ex antiquioribus Clerophilus Alethes[2] animadverterunt in Titulo Registri, quem superius (n. 287) rettulimus, verba de Antonio Huse "*tunc* Registrario Primario"; quocirca Registrum illo adhuc vivente redactum fuisse nolunt. At Registrum Custodum Spiritualitatis, sede per mortem Card. Poli vacante, eodem "Antonio Huse *tunc* Registrario principali," ut patet per titulum quem supra (n. 29) perlegere licuit, accommodatum est. Hoc autem authenticum et contemporaneum, id quod nemo negare conatus est, a mense Novembri anni 1558 incipit; a die 8° Decembris 1559 cessat. Num ergo Antonius Huse iam tum vita defunctus erat? Imo usque ad 1um Junii 1560 superstes fuit. Ergo ex his verbis usitatis nullum de veritate Registri dubium insinuari potest.

304. Omnibus ita perpensis pro testatissimo habemus Registrum quod exstat, neque totum neque in parte falsatum vel adulteratum, post ipsas res gestas quae memorantur, citra semestre redactum et scriptum fuisse. Sane contemporanea testimonia.

III. *Excerpta e Registro.*

305. Huc accedent excerpta quaedam e Registro quae ad argumentum nostrum in capite primo exaratum maxime spectant. Ac primo dabimus *Processum electionis* (cf. n. 115), deinde *Litteras Patentes* de Parkero confirmando et consecrando, quas nn. 11—15 tractavimus, postremo autem ea quae de ipsa Consecratione narrantur.

[1] Vide litteras certificatorias Bibliothecarii Lambethani et historici eminentissimi Joh. Ric. Green, qui archiepiscopo a libris honorarius erat, die 5° Novembris 1869 datas, et typis editas in Lee, *Validity of the Holy Orders, etc.* p. 429.

[2] Estcourt, *op. cit.* p. 108; Williams, *Letters on Anglican Orders*, p. 84; Clerophilus Alethes, *Remarks upon F. le Courayer's Book, etc.* p. 125.

A.

Processus electionis.

306. EXCELLENTISSIME SERENISSIME, et Inuictissime in Xpo. Principi, et d'ne n're, d'ne Elizabethe Dei gr'a Anglie, ffrancie, et Hibernie Regine, fidei defens. &c., Vestri humiles et deuoti Subditi Nicholaus Wotton vtriusq; Iuris Doctor, decanus eccl'ie cath. et Metropolitice Xpi. Cantuarien., et eiusdem eccl'ie Cap't'lm., omnimodas ob'iam, fidem, et Subiectionem, gra'm perpetuam et felicitatem in eo per quem reges regnant et principes dominantur. AD vestre Serenissime Regie Maiestatis Noticia. deducimus et deduci volumus per p'ntes Q'd vacante nuper Sede Archie'pali Cantuarien. predict. per obitum bone memorie R'mi in Xpo. p'ris et d'ni, d'ni Reginaldi Pole Cardinalis, vltimi et immediati Archiepresulis et pastoris eiusdem, Nos decanus et Cap't'lm. antedict. habita prius L'nia v're excellentissime Maiestatis, ne eadem eccl'ia cath'is et Metropolitica per sua. diutina. vacationem grauia pateretur Incommoda, ad electionem futuri Archie'pi et pastoris eiusdem procedere volentes, vicesimo secundo die mensis Iulij vltimi preterit. in domo n'ra Cap't'lari eccl'ie memorate cap't'lariter congregati et Cap't'lm. ib'm facientes diem Martis viz. primu. Diem p'ntis mensis Augusti, ac hor. nona. et decimam ante meridiem eiusdem diei, ac domu. Cap't'larem predict. cum Continuatione et prorogatione Dierum et hor. extunc sequen. et Locorum (si oporteat) in ea parte fiend., nobismetip'is tunc ib'm p'ntibus, et alijs eiusdem eccl'ie Canonicis et prebendarijs absentibus, Ius, voces, aut Interesse in electione futuri Archie'pi eccl'ie memorate habentibus seu habere pretendentibus ad electionem futuri Archie'pi et pastoris prefate eccl'ie (diuina fauente Clementia) celebrand. pro Termino et Loco competen. prefiximus et assignauimus, Ad quos quidem diem hor. et domu, Cap't'larem an'dict. omnes et sing'los Canonicos pred'ce eccl'ie Ius, voces, aut Interesse in h'mo'i electione et electionis negocio habentes in Specie, ceterosq; omnes alios et sing'los (Si qui essent) qui de Iure seu Consuetudine in hac parte Ius et interesse habere pretenderent in genere, ad procedend. et procedi vidend. nobiscum in eodem electionis negocio, ac in omnibus et sing'lis Actis vsq; ad finalem expedic'o'em eiusdem, iuxta morem antiquu. et laudabile. Consuetudine. eccl'ie pred'ce in hac parte ab Antiquo vsitat. et inconcusse observat. l'time et peremptorie, citandos, et euocandos, et monendos fore decreuimus, et in ea parte l'ras Citatorias fieri in forma efficaci valida, et assueta, fecimus, Nec non p'tatem et Mandatum dil'co nobis in Xpo. Nicholao Simpson in ea parte commisimus, Cum intimatione, Quod siue ip'i sic citati in h'mo'i electionis negocio die hor. et Loco pred'cis comparuerint siue non, Nos nihilominus in eodem negocio procederemus et procedere intenderemus, ip'orum citatorum ab'ia siue Contumacia in aliquo non obstan. QUO quidem die Martis viz. primo die mensis

Augusti aduenientc, inter horas prius assignatas, Nos decanus et Cap't'lm. an'dict. (Campana ad Cap't'lm. celebrand. primitus pulsata) domum Cap't'larem eccl'ie cath'is pred'ce ingressi et Cap't'lm. ib'm celebrantes, in Dilecti nobis in Xpo. Iohannis Incent Notarij pu[ci] ac Testium inferius no'i'atorum p'ntijs, L'niam v're Serenissime Regie Mat[is] supradict., Necnon l'ras Citatorias de quibus supra fit Mentio, vnacu. Certificatorio super executione earundem per Nicholau. Simpson Mandatarium n'rum an'd'cum, coram nobis tunc et ib'm introductas et exhibitas pu[ce] perlegi fecimus, Quarum quidem L'nie, l'rarum Citatoriarum, et Certificatorij Tenores de verbo ad verbum sequuntur et sunt tales,—ELIZABETH Dei gr'a Anglie, ffrancie, et Hibernie Regina, ffidei Defens. etc. Dilectis nobis in Xpo. Decano et Cap't'lo eccl'ie Metropolitice Cantuar. Salutem. Ex parte v'ra nobis est humil'r Supplicatum, Vt cum eccl'ia predicta, per mortem naturalem Reuerendissimi in Xpo. patris et d'ni, d'ni Reginaldi Pole, Cardinalis vltimi Archie'pi eiusdem iam vacat, et pastoris sit Solatio destituta, alium vobis eligend. in Archie'pum et pastorem, L'niam n'ram fundatoriam, vobis concedere dignaremur, Nos precibus v'ris in hac parte fauorabil'r inclinati, L'niam illam vobis duximus concedend., Rogantes, Q'd talem vobis eligatis in Archie'pum et pastorem qui deo deuotus nobisq; et Regno n'ro vtilis et fidelis existat. In cuius Rei Testimonium has l'ras [n'ras] fieri fecimus patentes, Teste meip'a apud Westm. decimo octauo die Iulij, Anno Regni n'ri primo. NICHOLAUS WOTTON vtriusq; Iuris Doctor, decanus eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cant. et eiusdem eccl'ie Cap't'lm., Dilecto nobis in Xpo. Nicholao Simpson cl'ico Sal'tm. Cum Sedes Archie'palis Cantur. predict. per obitum Reuerendissimi in Xpo. p'ris et d'ni, d'ni Reginaldi Pole Cardinalis vltimi Archie'pi eiusdem iam vacat, et Archiepresulis siue Pastoris Solatio destituta existit, Nos decanus et Cap't'lm. predict. in Domo Cap't'lari eccl'ie anted'ce die subscript. atq; ad effectum infrascriptum, (L'nia Regia primitus habita et obtenta) Cap't'lariter congregati et Cap't'lm facien., ne Archie'patus predict. sue vacationis diutius deploraret Incommoda, nobismetip'is pro tunc p'ntibus, Ac omnibus alijs Canonicis eiusdem eccl'ie tunc absentibus, Ius et voces in electione futuri Archie'pi eiusdem eccl'ie habentibus, diem Martis viz. primum Diem prox. sequentis Mensis Augusti ac hor. nonam et decimam ante meridiem eiusdem diei, et domum Cap't'larem predict. cum Continuatione et prorogatione dierum et horarum extunc sequen. (Si oporteat) in ea parte fienda, ad electionem futuri Archie'pi prefate eccl'ie (deo fauente) celebrand. pro Termino et Loco competen. prefiximus et assignauimus, Necnon ad diem, hor. et locum predict. omnes et sing'los ip'ius eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuar. Canonicos et prebendarios tam p'ntes quam ab'entes Ius et voces in h'mo'i electione et electionis negocio h'entes, ad faciend. exercend. et expediend. omnia et Sing'la que circa electionem h'mo'i in ea parte n'cc'ria fuerint, seu de Iure aut Consuetudine eccl'ie pred'ce vel huius

incliti Regni Anglie Statutis q'mo'l't requisita, vsq; ad finalem eiusdem negotij expedic'o'em inclusiue, per Citation. l'ras siue Schedulas in Stallis Prebendarum suar. iuxta morem preteriti Temporis ac Statuta et laudabiles Consuetudines eccl'ie pred'ce hactenus ab antiquo in ea parte vsitat. et observat. affigend., et ib'm dimittend. peremptorie citandos et monendos fore decreuimus Iusticia mediante, Tibi ig'r committimus et mandamus Tenore p'ntium, Quatenus cites seu citari facias peremptorie omnes et Sing'los prefate eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cant. Canonicos prebendatos in Stallis eorum in Choro eiusdem eccl'ie (Citation. l'ris et Schedulis in ip'is Stallis pu^ce affixis et ib'm dimissis) Quos nos etiam Tenore p'ntium sic citamus, Q'd compareant et eoru. Quilibet compareat, coram nobis pred'co primo die mensis Augusti, in Domo Cap't'lari pred'ca, et inter hor. nonam et decima. ante meridiem eiusdem Diei, cum Continuatione et prorogatione Dierum et horarum extunc Sequentium (Si oporteat) in ea parte fiend. in prefate electionis negocio, et in sing'lis Actis eiusdem, vsq; ad finalem d'ci Negocij expedic'o'em inclusiue fiend., l'time processur. et procedi visur. Ceteraq; omnia et sing'la alia factur. subitur. et auditur. que h'mo'i electionis negocij Natura et Qualitas, de se exigunt et requirunt, Intimando nihilominus citatis pred'cis omnibus et Sing'lis harum Serie, Q'd siue ip'i iuxta effectum Citationis h'mo'i die, hor. et loco pred'cis nobiscum comparuerint siue non, Nos tamen eisdem die hor. et loco in dict. electionis negocio, vsq; ad finalem expedic'o'em eiusdem inclusiue procedemus, prout de Iure et Consuetudine fuerit, procedend., eorum sic citatorum absentijs siue Contumacijs in aliquo non obstan. Et quid in premissis feceritis, Nos dictis die hor. et loco debite certificare cures vnacu. p'ntibus. Dat. in Domo n'ra Cap't'lari vicesimo secundo die mensis Iulij Anno d'ni Mill'imo, Quingen^o, Quinquagesimo Nono. VENERABILIBUS et eximijs viris mag'ris Nicholao Wotton utriusq; Iuris Doctori, decano eccl'ie cath' et Metropolitice Xpi. Cantuarien. et eiusdem eccl'ie Cap't'lo, Vester humilis et deuotus, Nicholaus Simpson cl'icus, vester ad Infrascripta Mandatarius rite et l'time deputatus, omni'odas Reueren. et ob'iam. cum obsequij exhibitione, tantis viris debit. Mandatum v'rum Reuerendum p'ntibus annex. xxij^o die mensis Iulij vltimi preteriti humil'r. recepi exequend., Cuius auc'te et vigore, d'co xxij^o die Iulij per affixionem d'ci v'ri Mandati in Stallo v'ri prefati d'ni decani infra Chorum eiusdem eccl'ie cath'is et Metropolitice, atq; per affixionem Citationum Schedularu. in sing'lis Stallis Canonicorum et prebendariorum d'ce eccl'ie iuxta vim, forma. et effectum Mandati v'ri Citatorij h'mo'i pu^ce affixarum, et ib'm dimissarum omnes et sing'los Canonicos Prebendas in d'ca eccl'ia obtinentes, in electione futuri Archie'pi eiusdem eccl'ie, Ius, voces, et Interesse h'entes, aut habere pretendentes p'emptorie citari feci, Q'd comparerent et eorum Quilibet compareret coram vobis, die, hor. et Loco in Mandato v'ro Reuerendo predicto specificatis vnacum Continuatione et prorogatione dierum et horaru. (Si oporteat) extunc sequen.,

vobiscum tunc et ib'm in h'mo'i electione et electionis negocio iuxta Iuris exigentiam et d'ce eccl'ie cath'is Consuetudines processur. et procedi visur. vsq; ad finalem expeditionem eiusd. inclusiue, Vlteriusq; factur. in ea parte quod Tenor et eff'cus d'ci v'ri Mandati de se exigunt et requirunt, Intimando insuper, et intimari feci, eisdem sic citatis, Q'd siue ip'i dictis die, hor. et loco vobiscum comparuerint siue non, Vos nihilominus eisdem die, hor. et loco cum Continuatione, et prorogatione dierum et horaru. h'mo'i, extunc sequen., iuxta Iuris Exigentiam et preteriti Temporis Obseruantia. in h'mo'i electionis negocio procedere intenditis, ip'orum Citatorum Contumacia ab'iaq; siue Negligentia in aliquo non obstan. Et sic Mandatu. v'rum pred'cum in forma mihi demandata, debite exequi feci et causaui. No'i'a vero et cogno'i'a pred'corum Canonicorum (vt premittitur) citatorum inferius describuntur, In cuius Rei Testimonium Sigillum venerabilis viri Officialis d'ni Arch'ni Cant. p'ntibus apponi procuraui. Et nos Officialis antedictus ad Sp'ialem Rogatum d'ci Certificantis Sigillu. n'rum h'mo'i p'ntibus apposuimus: dat. quoad Sigilli Appensionem primo die mensis Augusti Anno d'ni Mill'imo Quingen°, Quinquagesimo, Nono. Mr. Ioh'es Milles, Mr. Arthurus Sentleger, Mr. Hugo Turnebull, Mr. Richardus ffawcet, Mr. Rad'us Jackson, Mr. Robertus Collins, Mr. Ioh'es Knight, Mr. Will'mus Darrell, Mr. Thomas Wood, Mr. Nicholaus Harpesfeld, Mr. Ioh'es Butler. QUIBUS omnibus et Sing'lis premissis sic gestis et expeditis, omnibusq; et Sing'lis pred'ce eccl'ie Canonicis, Ius et voces in h'mo'i electione et electionis negocio habentibus seu habere pretendentibus l'time et peremptorie ad eosdem diem, hor. et Locum citatis ad foras d'ce Domus Cap't'laris pu^ce^ preconizatis Comparentibus p'sonal'r vna nobiscum d'co decano, mag'ris Ioh'e Milles, Arthuro Sentleger, Will'mo Darrell, et Ioh'e Butler, prefate eccl'ie cath. et Metropolitice Xpi. Cantuar. Canonicis et Prebendarijs Nos decanus et Cap't'lm. antedict. sic cap't'lariter congregat. preno'i'atum Ioh'em Incent Notarium publicum in Actorum Scribam electionis pred'ce assumpsimus, Necnon mag'rum Ioh'em Armerar cl'icum et Gilbertum Hide gener. in Testes eiusdem electionis negocij et agendorum in eodem p'sonal'r tunc p'ntes elegimus, et eos rogauimus nobiscum ib'm remanere. Et mox Nos Nicholaus Wotton decanus an'dict. de Consensu d'corum Canonicoru. et Prebendariorum predict. tunc p'ntium in h'mo'i electionis negocio procedentes, omnes et sing'los alios Canonicos et Prebendarios, ad eosdem Diem, hor. et locu. citatos, pu^ce^ alta voce ut supra preconizatos, diu expectatos, et nullo modo comparentes pronunciauimus Contumaces, et in pena. Contumaciaru. suarum h'mo'i, ad vlteriora in d'co electionis negocio procedend. fore decreuimus, eorum ab'ia siue Contumacia in aliquo non obstante— in Scriptis per nos sub h'mo'i verborum tenore lectis. IN DEI NO'I'E AMEN Nos Nicholaus Wotton vtriusq; Iuris Doctor, decanus eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuarien. de vnanimi Assensu et Consensu Cap't'li eiusdem eccl'ie omnes et sing'los Canonicos et Prebendarios

eccl'ie memorate ad hos diem et locum ad procedend. in negocio electionis futuri Archie'pi et pastoris eccl'ie cath. predicte iuxta morem preteriti Temporis in eadem eccl'ia vsitat. et observat., l'time et peremptorie citatos, pu^{ce} preconizatos diu viz. in hor. locum et Tempus rite assignat. expectatos, et nullo modo comparentes pronunciamus Contumaces, et in pena. Contumaciarum suarum h'mo'i et eorum cuiuslibet decernimus Jus et p'atem procedend. in h'mo'i electionis negocio ad alios Canonicos comparentes spectare et pertinere, et ad vlteriora in eodem electionis negocio procedend. fore ip'orum citatorum et non Comparentium ab'ia siue Contumacia in aliquo non obstante. HIJS EXPEDITIS Nos Nicholaus Wotton decanus antedictus de consimilibus consensu, assensu, et voluntate eorundem Canonicorum et Prebendariorum tunc p'ntium, quasdam Monitionem et protestationem in Scriptis simul redact. et concept. fecimus et pu^{ce} legebamus tunc et ib'm sub h'mo'i sequitur verborum tenore. IN DEI NO'I'E AMEN Nos Nicholaus Wotton vtriusq; Iuris doctor, decanus eccl'ie cath. et Metropolitice Xpi. Cantuarien. vice n'ra, ac vice et no'i'e omniu. et Sing'lorum Canonicorum et Confratrum n'rorum hic jam p'ntium monēmus omnes et Sing'los Suspensos, exco'icatos, et interdictos (Si qui forsan inter nos hic iam sint) qui de Iure seu Consuetudine aut quauis alia occasione, seu causa, in p'nti electionis negocio interesse non debent, Q'd de hac domo Cap't'lari statim iam recedant, ac nos et alios de p'nti Cap't'lo, ad quos Ius et p'tas eligendi pertinet libere eligere permittant, protestando o'ibus via modo et Iuris forma melioribus et efficacioribus quibus melius et efficatius possumus et debemus no'i'e n'ro ac vice et no'i'e o'ium et sing'lorum Canonicorum, Prebendariorum, et confratrum n'rorum predict. hic iam p'ntium, Q'd non est n'ra nec eorum voluntas tales admittere tanq'; Ius, voces, et Interesse in h'mo'i electione habentes, aut procedere vel eligere cum eisdem, Immo volumus et volunt q'd voces Taliu. (Si que postmodu. reperiantur) quod absit, in h'mo'i electione interuenisse, nulli prestent auxiliu., nec afferant alicui nocumentum, Sed prorsus pro non receptis, et non habitis nullisq; et inualidis penitus et omnino habeantur et censeantur, Canonicos vero omnes p'ntes pro pleno Cap't'lo eccl'ie pred'ce habendos et censendos fore debere pronu'ciamus et declaramus in hiis Scriptis. CONSEQUENTER vero declarat. pu^{ce} per nos Nicholau. Wotton anted'cum decanu. Cap't'lo (Quia propter diuersas &c.) Expositisq; per nos Tribus modis electionis, Cunctisq; Canonicis tunc p'ntibus pu^{ce} percontatis, secundu. quem modu. siue quam viam illarum trium in d'co Cap't'lo (Quia propter diuersas &c.) comprehensarum in h'mo'i electionis negocio procedere voluerint, Nos decanus et Cap't'lm. an'dict. de et super forma electionis h'mo'i, ac per quam viam siue forma. fuerit nobis procedend. ad electionem futuri Archie'pi eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuarien. predict. diligenter tractauimus, et tandem nobis decano et Canonicis antedict. (vt prefertur) tunc ib'm p'ntibus, et Cap't'lm. in ea parte facien. visum est et placuit nobis

decano, ac omnibus et sing'lis suprad'cis, nullo n'rum discrepante seu contradicente per viam seu formam Compromissi in h'mo'i electionis negocio procedere, ac tunc et ib'm in Venerabilem virum mag'rum Nicholau. Wotton decanu. anted'cum sub certis expressatis Legibus et Conditionibus, Ita q'd d'cus Compromissarius priusq'; e domo Cap't'lari predict. recederet, et antequam Cap't'lm. h'mo'i solueretur, vnum virum idoneum in Archie'pum et pastorem eccl'ie memorate eligeret compromisimus, Promittentes nos bona fide illum acceptatur. in n'rum et d'ce eccl'ie Archie'pum, quem ip'e Compromissarius sub modo et forma prenotatis duxerit eligend. et prouidend. HIISQ; in hunc modum dispositis, prefatus mag'r nicholaus Wotton Compromissarius anted'cus, Onus Compromissi h'mo'i in se acceptans, Vota sua in Venerabilem virum mag'rum Mattheum Parker Sacre Theologie Professorem iuxta et secundu. p'tatem sibi in hac parte factam et concessam ac Compromissionem pred'cam direxit, Ip'umque in Archie'pum et pastorem eiusdem eccl'ie elegit, et eccl'ie pred'ce de eodem prouidebat, prout in Schedula Tenorem et forma. Compromissi electionis et prouisionis predict. continen., per eundem mag'rum Nicholau. Wotton pu^ce^ lect. (Cuius tenor de verbo in verbum sequitur) dilucidius continetur. IN DEI NO'I'E AMEN. Cum vacante nuper Sede Archie'pali Cantuar. per obitum bone memorie Reuerendissimi in Xpo. p'ris D'ni Reginaldi Pole Cardinalis vltimi Archie'pi et pastoris eiusdem vocatis et l'time premonitis ad electionem futuri Archiepresulis d'ce Sedis omnibus et Sing'lis, qui de Iure vel Consuetudine d'ce eccl'ie ad electionem h'mo'i fuerint euocandi ac omnibus qui debuerint aut potuerint h'mo'i electionis negocio commode interesse, in Domo Cap't'lari antefate eccl'ie, Termino ad d'cam electionem celebrand. prefixo et assignato, p'ntibus et cap't'lariter congregatis, placuerit Decano, omnibusq; et Sing'lis eiusdem eccl'ie Cap't'li nemine contradicente vel discrepante, per via. seu formam Compromissi, de futuro Sedis predict. Archie'po prouidere, ac mihi Nicholao Wotton eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuar. predicte decano, Ius et vocem in h'mo'i electionis negocio habenti, Compromissario in hac parte special'r et l'time electo plenam et liberam dederint et concesserint, p'tatem, auc'tem, et mandatu. Speciale die isto antequam ab hac domo Cap't'lari recederem, ac recederent, et Cap't'lo durante, p'sona. habilem et idoneam in Archie'pum et pastorem d'ce eccl'ie et eidem prouidendi prout ex Tenore dicti Compromissi manifeste liquet et apparet: Ego Nicholaus Wotton Decanus an'd'cus, Onus compromissi h'mo'i acceptans in venerabilem virum mag'rum Mattheum Parker, Sacre Theologie professorem vota mea dirigens, virum vtique prouidum et discretum, l'rarum Scientia, vita, et moribus merito commendatu., liberu. et de l'timo m'rimonio procreatum, atq; in etate l'tima et ordine Sacerdotali constitutu., in Sp'ualibus et Temporalibus plurimu. circumspectum, scientem, volentem et valentem, Iura et Libertates d'ce eccl'ie tueri, et defendere, vice mei, viceq;, Loco, et no'i'e, totius Cap't'li eiusdem eccl'ie,

pred'cum venerabilem virum, mag'rum Mattheu. Parker premissorum meritorum suorum intuitu in Archie'pum et pastorem eiusdem eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuar., infra Tempus mihi ad hoc datu. et assignatum eligo in communi, et eidem eccl'ie prouideo de eodem in hiis Scriptis: DEINDE Nos decanus, et Cap't'lm. antedict. prefatam electionem et p'sonam electam, vtpote rite factam, et celebratam obuijs vlnis amplexantes, ac eam, ratam, gratam, et firma. habentes, eundem mag'rum Mattheu. Parker, electum in Archie'pum et pastorem prefate eccl'ie, quatenus in nobis fuit, aut est acceptauimus, et electionem h'mo'i approbauimus. CONSEQUENTER vero, Nos decanus et Cap't'lm. antedict., prefato mag'ro Will'mo Darrell p'tatem dedimus et concessimus, electionem n'ram h'mo'i et p'sona. electam, Clero et populo pala. publicand. declarand. et manifestand. prout moris est, atq; in Similibus de vsu laudabili fieri assolet. POSTREMO vero Nos decanus et Cap't'lm. antedict. domu. n'ram Cap't'larem antedict. egredientes, et Chorum eccl'ie memorate intrantes, hymnu., Te deum laudamus, in Sermone Anglico per ministros Chori solemniter decantari fecimus, Quo p'acto, prefatus mag'r Will'mus Darrell iuxta p'tatem sibi elargitam ministris eiusdem eccl'ie ac plebi tunc coadunate, electionem n'ram h'mo'i et p'sona. electam verbo tenus publicauit, et denunciauit, ac declarauit. QUE O'IA et sing'la Nos decanus et Cap't'lm. an'dict. pro officij n'ri debito v're Serenissime maiestati sub Serie in hoc processu inserta, duximus significand., Eidem ma[ti] v're humil'r et obnixe supplicantes, Quatenus electioni n're h'mo'i sic (ut premittitur) facte, et celebrate, Consensu. et assensu. v'ros regios adhibere, et eandem confirmari facere et mandare dignetur v'ra excellentissima maiestas. Vt (deo optimo maximo Bonorum o'ium Largitore fauente et opitulante) d'cus electus et confirmatus nobis preesse valeat, vtiliter pariter et prodesse. Ac nos sub eo et eius Regimine bono possumus deo in d'ca eccl'ia militare. ET VT de premissoru. veritate, v're Clementissime Maiestati abunde constare possit, Nos Decanus et Cap't'lm. an'dict. p'ntem Electionis n're processum, Signo, Nomine, et Cognomine ac Subscriptione Notarij pu[ci] subscripti signari et subscribi, n'riq; Sigilli co'is appensione, iussimus et fecimus communiri. Act. in Domo n'ra Cap't'lari predict. primo die mensis Augusti, Anno d'ni Mill'imo, Quingen°, Quinquagesimo, Nono.

B.

Litterae Patentes de assensu regio electioni adhibito.

307. ELIZABETH Dei g'ra Anglie ffrancie et Hibernie Regina, fidei defensor etc. Reuerendis in Xpo. p'ribus Anthonio Landaven. e'po Will'mo Barlo quondam Bathon. e'po nunc Cicestren. electo, Ioanni Scory quondam Cicestren. e'po, nunc electo Hereforden., Miloni Coverdale quondam Exon. e'po, Ioanni Bedforden., Iohanni Thetforden.

e'pis Suffraganeis, Ioh'i Bale Osseren. e'po Sal'tm. Cum vacante nuper Sede Archie'pali Cantuar. per mortem naturalem d'ni Reginaldi Pole Cardinalis vltimi et Immediati Archie'pi et pastoris eiusdem, ad humilem petic'o'em Decani et Cap't'li eccl'ie n're cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuarien., eisdem per l'ras n'ras patentes L'niam concesserimus, alium sibi eligend. in Archie'pum et pastorem Sedis pred'ce, Ac ijdem decanus et Cap't'lm. vigore [et] obtent. l'nie n're pred'ce dil'cm. nobis in Xpo. mag'rum Mattheum Parker Sacre Theologie Professorem sibi et eccl'ie pred'ce elegerunt in Archie'pum et pastorem, prout per l'ras suas patentes Sigillo eorum communi sigillat. nobis inde directas plenius liquet et apparet, Nos electionem illam acceptantes, eidem Electioni Regiu. n'rum Assensu. adhibuimus pariter et fauorem Et hoc vobis Tenore p'ntium significamus, Rogantes ac in fide et dilectione quibus nobis tenemini firmiter precipiendo mandantes, Quatenus vos aut ad minus Quatuor v'rum eundem mattheum Parker in Archie'pum et pastorem eccl'ie cath'is et Metropolitice Xpi. Cantuar. predicte (sicut prefertur) electum, electionemq; pred'cam confirmare, et eundem mag'rum Mattheum Parker in Archie'pum et pastorem eccl'ie pred'ce consecrare, Ceteraq; omnia et singula peragere que v'ro in hac parte incumbunt Officio Pastorali, iuxta formam Statutorum in ea parte editorum et prouisorum velitis cum effectu. Supplentes nihilominus Suprema auc'te n'ra Regia ex mero motu et certa Scientia n'ris Si quid aut in hijs que iuxta Mandatum n'rum pred'cum per vos fient, aut in vobis aut v'rum aliquo, Conditione, Statu, facultate, v'ris, ad Premissa p'ficiend. desit, aut deerit, eorum que per Statuta huius Regni n'ri, aut per Leges eccl'iasticas in hac parte requiruntur, aut n'cc'ria sunt, Temporis Ratione et rerum necessitate id postulante In cuius Rei Testimonium has l'ras n'ras fieri fecimus patentes. T. meip'a apud Westm. sexto Die Decembris Anno Regni n'ri Secundo. Ha. Cordell.—

[*Wee whose names be heare subscribid, thinke in our Judgementes, that by this Commission in this forme pennid as well the Quenes Matie may lawfully auctorize the p'sons within namid to theffecte specified as the said p'sons maye exercise the acte of confirminge and consecratinge in the same to them committid.*

Will'am Maye,	*Henry Harvey,*
Robert Weston,	*Thomas Yale,*
Edward Leedes,	*Nicholas Bullingham.*]

C.

308. *RITUUM ET CEREMONIARUM ORDO IN CONSEcratione Reuerendissimi D'ni Matthei Parker, Archie'pi Cantur. in Capella infra Manerium suu. de Lambehith die d'nico viz. decimo Septimo Die mensis decembris, Anno D'ni Mill'imo, Quingen°, Quinquagesimo, Nono.*

PRINCIPIO Sacellu. Tapetibus ad orientem adornabatur, solu. vero panno rubro insternebatur, Mensa quoq; sacris peragendis n'cc'ria, Tapeto puluinariq; ornata, ad Orientem sita erat.

QUATUOR preterea Cathedre, quatuor e'pis quibus Munus Consecrandi Archie'pi delegabatur ad Austrum Orientalis Sacelli partis erant posite.

SCAMNU. preterea Tapeto, pulvinaribusq; instratum, Cui e'pi genibus flexis inniterentur, ante cathedras ponebatur.

PARI quoq; modo Cathedra, Scamnu'q; Tapeto, pulvinariq; ornatu. Archie'po, ad Borealem Orientalis eiusdem Sacelli partis plagam posita erant.

HIJS REBUS ita ordine suo instructis, Mane circiter quintam aut Sextam, per Occidentalem portam ingreditur Sacellu. Archie'pus, toga Talari Coccinea, Caputioq; indutus, quatuor precedentibus funalibus, et quatuor comitatus e'pis, qui eius Consecrationi inservirent. viz. will'mo Barloe quondam Bathon. et wellen. e'po, nunc electo Cicestren., Ioh'e Scory quonda. Cicestren. e'po, nunc Hereforden. electo, Milone Coverdale quondam Exon. e'po, et Iohanne Bedforden. Suffraganeo, Qui omnes postq'; Sedes sibi paratas ordine singuli suo occupassent, preces continuo Matutine per Andrea. Peerson Archie'pi Capellanum clara voce recitabantur, Quibus peractis Ioh'es Scory de quo supra diximus, Suggestum conscendit, atq; inde assumpto sibi in Thema *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro consenior* etc. non ineleganter concionabatur.

FINITA Concione, egrediuntur simul Archie'pus, reliquiq; quatuor e'pi Sacellu., se ad Sacram Communione. paraturi; neq; Mora confestim per Borealem portam ad hunc modum vestiti redeunt, Archie'pus nimirum Linteo superpelliceo (quod vocant) induebatur, Cicestren. electus Capa Serica ad Sacra peragenda paratus vtebatur, Cui ministrabant, operamq; suam prebebant, duo Archie'pi Capellani viz. Nicholaus Bullingh'm Lincoln. et Edmundus Gest Cantuarien. respectiue Archi'ni, capis Sericis simil'r vestiti, Hereforden. electus et Bedforden. Suffraganeus Linteis superpelliceis induebantur.

MILO vero Coverdallus non nisi Toga Lanea Talari vtebatur.

ATQ; hunc in modum vestiti et instructi ad Co'ionem celebrandam perrexerunt, Archie'po genibus flexis ad infimu. Sacelli gradu. sedente.

FFINITO tandem Evangelio, Hereforden. electus, Bedforden. Suffraganeus, et Milo Coverdale (de quibus supra) Archie'pum coram Cicestren. electo, apud Mensam in Cathedra sedente, hijs verbis adduxerunt, Reuerende in deo pater, hunc virum piu. pariter atq; doctum, Tibi offerimus atq; p'ntamus, ut Archie'pus consecretur, postq'; hec dixisset, proferebatur illico Regium diploma siue Mandatum pro Consecratione Archie'pi^{m}, Quo per D. Thomam Yale Legum doctorem perlecto, Sacramentu. de regio primatu siue Suprema eius auc'te tuenda, iuxta Statuta primo Anno Regni Serenissime Regine n're Elizabethe edita et promulgata, ab eodem Archie'po exigebatur, quod cum ille solemniter

Tactis corporal'r sacris Evangelijs conceptis verbis prestitisset, Cicestren. electus populu. ad orationem hortatus, ad Letanias decantandas choro r'ondente se accinxit, Quibus finitis post Questiones aliquot Archie'po per Cicestren. electum propositas, et post Orationes et Suffragia quedam iuxta formam libri auc'te parliamenti editi apud deum habita, Cicestren., Hereforden., Suffraganeus Bedforden. et Milo Coverdallus Manibus Archie'po impositis dixerunt Anglice viz. "Take the hollie gost, and remember that thou stirre upp the grace of god, which ys in the by Imposicon of handes, for god hath not giuen us the Spirite of feare, But of Power, and Love, and Sobernes." Hijs dictis, Biblia Sacra illi in Manibus tradiderunt, h'mo'i apud eum verba h'entes, "Gyve hede unto thy readinge, exhortacon, and Doctrine, thinke uppon thes thinges, conteyned in thys Booke, be diligent in them that the increase comminge therbye may be manifest unto all men; Take hede unto thy self, and unto thy Teachinge, and be diligent in Doinge them for by doinge thys, thou shalt saue thy self, and them that hear thee through Jesus Xpe. our Lord." Postq'; hec dixissent, ad reliqua Communionis solemnia pergit Cicestren., nullu. Archie'po tradens pastorale bacculum, cum quo co'-icabant Archie'pus, et quatuor illi e'pi supra no'i'ati, cum alijs etiam nonnullis.

FFINITIS tandem peractisq; Sacris egreditur per Borealem Orientalis Sacelli partis porta. Archie'pus, quatuor illis comitatus e'pis qui eum consecrauerant, et confestim eisdem ip'is stipatus e'pis per eandem reuertitur portam, albo e'pali Superpelliceo, Crimeraq; (ut vocant) ex nigro Serico indutus, circa collu. vero Collare quoddam ex preciosis pellibus Sabellinis (vulgo Sables vocant) consutu. gestabat. Pari quoq; modo Cicestren. et Hereforden. suis E'palibus amictibus, Superpelliceo et Crimera, vterq; induebatur. Coverdallus vero et Bedforden. Suffraganeus togis solum modo talaribus vtebantur. Pergens deinde Occidentalem portam versus, Archie'pus, Thome Doyle Iconimo, Joanni Baker, Thesaurario, et Joh'i March Computo. rotulario, Sing'lis sing'los albos dedit Bacculos, hoc scz. modo eos muneribus et Officijs suis ornans.

HIJS itaq; hunc ad modum ordine suo (vt iam ante d'cum est) peractis, per Occidentalem portam Sacellu. egreditur Archie'pus generosioribus quibusq; Sanguine ex eius familia eum preceden. reliquis vero eum a Tergo Sequentibus.

ACTA, gestaq; hec erant omnia et Sing'la in p'ntia Reuerendoru. in Xpo. patrum, Edmundi Grindall London e'pi electi, Richardi Cockes Elien. electi, Edwini Sandes Wigorn. electi, Anthonii Huse Armigeri principalis et primarii Reg'rarii d'ci Archie'pi, Thome Argall armigeri Reg'rarii Curie Prerogative Cantur., Thome Willett et Ioh'is Incent notariorum publicoru., et aliorum nonnullorum.

APPENDIX IV.

DE FABULA CAUPONARIA.

309. Anno salutis 1604, post consecrationem Parkeri xlv. annis, primum spargi rumor coeptus est de fictis consecrationibus episcoporum, quae in caupona *ad Caput Equinum* (the Nag's Head) habitae fuisse ferebantur. Auctor fuit Johannes Holywood (alio nomine Christopherus a Sacrobosco) qui primus in libro *De Investigatione verae et visibilis Christi Ecclesiae*, Antwerpiae edito, Parkeri consecrationem, quoad factum historicum, impugnare ausus est. Omnes enim qui antehac hierarchiam Anglicanam insectati erant, eius consecrationem vere quidem, sed illicite aut invalide confectam esse censuerunt. Hi tamen, qui clerum Anglicanum acerbissime detractare cuperent, si quid de eis quae in diversorio perridicula accidisse feruntur novissent, Parkero consecrationem Lambethanam prae se ferenti mendacium optimo iure obiecissent. Haec animadvertit Lingard (*Birm. Cath. Mag.* vol. v. pp. 712, 778), qui testatur se perlegisse Hardingi *Confutation* et *Detection*, Stapletoni *Counterblast* et *Promptuarium Catholicum*, Bristovi *Motives*, et Sanderi *Historiam*, qui omnes ne in mentionem quidem consecrationis putativae in diversorio habitae inciderint.

310. Quinimo ante fabulam ab Holywood anno 1604 vulgatam nihil huiusmodi conceptum fuisse ex hisce patet :—

1°. Kellison, qui in suo *Examine Novae Reformationis* anno 1616 conscripto eadem fere quae Holywood mentitus erat profert (p. 166), nihil de his rebus in libro suo *Survey of the New Religion* anno 1603 edito fabulatur.

2°. Bristow in libro *Motives to the Catholic Faith* annis 1574 et 1589 vulgato, consecrationem huiusmodi ficticiam, ut monet Lingard, plane ignorat; in versione autem Latina eiusdem libri (cui titulus *Antihaereticae Motivae*) a quodam Worthington anno 1608 facta, verba quaedam quae eo spectare videntur intersita sunt (pp. 266—277), unde Le Quien ea tanquam ex ipso Bristovo, sub anno 1567, derivat.

311. Ex his vero primordiis fabula vires acquisivit eundo, et cum eis additamentis communiter relata est quae in Fitzsimonis *Britanomachia Ministrorum* (Duaci, 1614) atque in libro Champnaei *de Vocatione Ministrorum* (Lutetiae, 1618) fusius elaborantur. Champnaeus haec narrat, p. 497:—"Initio regni Elizabethae, depositis et in custodiam coniectis *Catholicis* Episcopis, ut infra videbimus, alii creandi et illis sufficiendi erant. Qui fuerunt ad illam dignitatem nominati, et electi, ex condicto in quodam hospitio (cui insigne erat Caput mannuli in vico dicto *Cheapside*) *Londini* convenerunt. Illuc etiam invitatus venit *Landavensis* Episcopus, multa senectute iam decrepitus, vir simplex et meticulosus. Ab ipso expectabant ordinationem novi candidati. Quod *Bonerus* Episcopus *Londinensis* in carcere religionis ergo constitutus, subolfaciens, minatus est Landavensi excommunicationem, si eos ordinaret: quo nuncio territus, et tactus etiam fortassis intrinsecus conscientiae stimulis ille pedem rettulit, et oculorum infirmitatem causatus, manus eis imponere recusavit. Expectantes ergo isti spe sua frustrati, se illusos interpretantes, senem, quem antea honore et reverentia non mediocri prosequebantur, opprobriis lacessere coeperunt quidam inter illos dicentes: *Delirus iste senex existimat nos Episcopos non fore, nisi liniti et oleo delibuti fuerimus:* tam Episcopum senem, quam *Catholicum* consecrationis ritum ludibrio habentes. Consecratore tamen frustrati, novum coguntur quaerere consilium, et ad *Scoreum* apostatam monachum (qui sub Eduardo sexto absque ulla consecratione, ut statim videbimus, Episcopatum invaserat) ut ab eo ordinarentur, recurrunt. Iste qui cum habitu religioso conscientiam omnem exuerat, rem cito peregit, hac usus caeremonia. Illis omnibus ante ipsum genua flectentibus, unicuique illorum Biblia super caput imponens, dixit, *Accipe potestatem verbum Dei sincere praedicandi.* Et sic surrexerunt omnes Episcopi."

312. Fitzsimon vero (p. 320) ita iocatur: "Agebat sub id temporis in Turri Londinensi Archiepiscopus quidam Ibernus, ad quem *proposita libertate ac praemiis*, supplices confugiebant, ut is orbitatem Ecclesiae Anglicanae cui Ministri essent pernecessarii, misertus, ordinationem perageret. *Sed vir bonus* (inquit Sanderus) *nullo modo adduci potuit ut haereticis sacras manus imponeret, vel alieno peccato communicaret.* Non habeo compertum (citra probabilitatem coniecturae) an hic idem fuerit ter illustris martyr *Creveus*, Armacanus Primas......Tot autem modis properantis ambitus frustra tentatis, cum nullum aliud occurreret remedium, ipsi inter se candidati condicto die in Taberna, ad Caput Manuli, seu Equi, in Cheapsid, platea Londini praecipua, conveniunt, anno 1559. Non fuit quaerendum templum tali Taberna magis idoneum Reformatae ordinationi: quae ventri et ingluviei patefactura erat arbitrarium aditum, et omnia ieiuniorum iura paulo post violatura....Ex omnibus igitur Johannem *Scorium* Apostatam Religiosum deligunt, ut a votifrago (seu digno totius stemmatis protogene) auspicatior esset exvotata consecratio. Narrat Junius (sed reformata fide) impositionem in Ecclesia manuum

nihil aliud olim fuisse, quam familiarem dextrae in dextram, amicitiae ergo, iniectionem. Ad hanc sententiam respiciens Scorius iubet omnes procumbere in genua: deinde Parkeri prensa manu, ait: Eia, D. episcope Cantuariensis, surge. Iterum pari modo Grindallo: Eia, D. episcope Londinensis, surge. Itidem Horno: Eia, D. episcope Wintoniensis, surge. Dein Sandesio: Eia, D. episcope Worcestrensis, surge, et sic de caeteris."

313. Huiusmodi ineptias, nullo adhibito documento, ex mero auditu omnes tradiderunt. In testimonium asciscunt quemdam Thomam Neal, e famulis, quod dicit Champnaeus, Bonneri, a quo missus est ad Landavensem "ut eum sub poena excommunicationis prohiberet, a sacrilega illa consecratione desistere, et insuper ut videret quid ibi tandem fieret." Hic vero annos ante fabulam vulgatam quattuordecim mortuus ne verbum quidem de hac re scriptum reliquit. Atqui si vera de tali re in usum posterorum tradere potuisset, vir eruditus ac rerum peritus historiam istiusmodi auribus tantum committere nequaquam voluisset[1].

314. Proinde si consecratio scenica in diversorio habita Nealo Bonneri capellano, quem testem oculatum prae se ferunt fabulatores, innotuisset, ille quidem in actione Bonneri contra Hornum (*supr.* n. 14) per testimonium facti tum causam domini sui obtinere, cum Hornum ex episcopatu iure neque ecclesiastico nec civili occupato eicere potuisset. Nihil huiusmodi. Bonneri enim causidici non modo de tali re, quae iuramenti ab Horno dati reiectionem sane defendisset, silebant, sed etiam ea proferebant argumenta quae praesumerent et Parkerum et Hornum iuxta ritum Edwardinum fuisse consecratos.

315. Neque in minorem errorem de personis consecratis inciderunt auctores fabulae. Nonnullos enim referunt qui post aliquot annos promoti sunt; neque de his inter se consentiunt. Wadsworth[2] tentatam in diversorio consecrationem referens concedit Parkerum Lambethae ut in Registro memoratur consecratum esse; Champnaeus asserit in diversorio consecratos fuisse omnes qui in sedes eo tempore vacantes suffecti sint, quorum xiv. praeter ipsum Parkerum nominat (p. 532); auctor praefati ad Parsoni *Discussion of the Answer of M. Barlowe*, omisso Parkero, Sandum Hornum Grindallum Juellum aliosque nominat; Fitzsimon Parkerum Grindallum Hornum Sandum ceterosque memorat; Kellison *primorum sub Elizabetha pseudo-episcoporum* in genere tantum mentionem facit. Eidem scriptores de materia et forma consecrationis ficticiae diversa referunt. Champnaeus asserit Scoraeum sacra biblia super capita imposuisse cum verbis *Accipe potestatem verbum Dei sincere praedicandi;* Fitzsimon vero dicit eum cuiusvis manu tantum prensa

[1] De Thoma Neal vide Wood, *Athenae Oxonienses*, vol. i. pp. 576–8.

[2] In litteris ad W. Bedell ex Hispania datis 1° Aprilis, 1615, quae anno 1624 vulgatae sunt sub titulo *Copies of certain letters between James Wadsworth and W. Bedell.*

verbis usum esse *Eia*, *D. episcope Cantuariensis*, *surge*, et similibus. Le Quien autem (*Nullité etc.* vol. i. p. 185) cum fabulae fidem hac discordia penitus abolitam esse sensisset, narrationes horum scriptorum discrepantes in unum redigere conatus est, hoc scilicet modo:—primo Champnaei textum, omissis tantum verbis "*et sic surrexerunt omnes episcopi*" totum transtulit, cui cum ea quae Fitzsimon narrat addidisset, statim pergit his verbis uti: "Haec historia, qualem modo rettuli, in libro Antonii Champnaei, doctoris Sorbonici, *de vocatione Ministrorum*, cap. 14, p. 497 reperitur"; quibus verbis efficit ut historia una et continua esse videatur, quam ex dissonis eiusdem ficti narrationibus conflarit.

316. Cum externis quoque rebus absurdissime dimicat fabella. Namque, ut graviora omittamus quae in capite nostro primo digessimus,

1°. Scory, quem novo prodigio a propriis liberis procreatum, id est ab eis quos illico sacraverat consecratum Holywood et Fitzsimon asserunt, iam pridem die 30° Augusti, 1551 in episcopum Roffensem consecratus erat.

2°. Nihil eo tempore obstabat quominus consecratores idonei ascis-cerentur; nam praeter illos qui in regio mandato nominati Parkerum reipsa consecraverunt, plurimi episcopi Hibernici praesto erant, qui omnes, duobus tantum exceptis, conformati (ut aiebant) sedes suas Elizabetha regnante retinebant. Inter hos Hugo Curwen, Archiepiscopus Dubliniensis, qui adhuc regnante Maria consecratus, in sedem vero Oxoniensem anno 1567 translatus est, familiare cum Parkero commercium epistolarum habuit. (Strype, *Parker*, bk. i. ch. ix.)

3°. Nullus erat Archiepiscopus Hibernicus id temporis in Anglia carcere detentus. Ricardus autem Creagh, quem Fitzsimon (p. 320) nominat, ne titulum quidem Ecclesiae Armachanae ante festum S. Patricii anno 1564 recepit, neque ante hunc annum—scilicet quintum post consecrationem fabulosam—in carcerem deiectus est. (*Vita Ric. Creagh.* p. 32.)

317. His autem vel absurdiora fingunt qui narrant Parkerum ceterosque electos diversorium in locum consecrationis prae metu Bonneri aut urgente aliqua necessitate elegisse, siquidem non modo Ecclesiae Cathedrales et parochiales totius fere Angliae capellaeque palatiorum penes eos fuerunt, sed etiam intra muros Londinii quaedam loca ad iurisdictionem Ecclesiae Cantuariensis immediate pertinentia atque ab omni iurisdictione episcopi Londiniensis exempta exstiterunt, quo, si comminationes Bonneri iam regia potestate extrusi, quod minime credendum, formidassent, confugere potuissent. Quinetiam ex his iurisdictionibus immediatis erat Ecclesia B. Mariae de Arcubus, in vico *Cheapside*, ipsi vicina diversorio *ad Caput Equinum*. Le Quien quidem (*Nullité etc.* vol. i. p. 218), tanta absurditate perculsus, pro caupona magnam quandam domum, sacello praeditam, supposuit, auctorem referens Kellisonum ex *indice* operis contra Sutcliffe, ubi legitur "*English Bishops consecrated in the Chapel of the Nags Head Tavern*, 31 B." Quam si evolveris paginam Kellisonum

iocantem invenies, et dicentem *tabernam tali consecrationi dignam satis esse Ecclesiam.*

318. Haec denique ad caesos occidendos afferimus. Hethe et Bonner ceterique episcopi extrusi litteras ad reginam die 4° Decembris 1559 scripserunt. Quid de hac scenica et sacrilega consecratione dixerunt? Nihil sane. Eidem ad Parkerum litteras postmodum scripserunt, quibus ille die 26° Martii 1560, partibus eorum epistolae ordinatim dispositis, fusius respondit (Strype *l. c.*). Quid de hac re? Nihil sane. Illisne nondum innotuerat? Atqui unus ex eis capellanum suum, qui testis rei oculatus foret, ad locum misisse fertur. Ergo et illi, si qui alii, totam rem necessario comperissent; nec credibile est eos tantam occasionem adversariorum evincendorum omisisse, quippe qui reiecta iurisdictione pontificia episcopos tali modo instituere praesumerent, ut orbis terrarum Christiani contemptum ineluctabilem sibi allaturi forent. Nihil illi de hac re dixerunt. Quippe nondum inventa est fabula.

319. Hanc vero fabulam, tam propriis ineptiis quam rationibus extrinsecus adhibitis iamdudum explosam, nonnulli etiamnunc ad ordinationes Anglicanas obruendas producunt. Inter hos Kenrick in opere multis manibus versato, *The Validity of Anglican Ordinations examined*, eam non quidem pro vera ipse tuetur, sed lectoribus commendat, leniter iudicat, contra incursiones criticorum curiose defendit.

320. Id quidem miramur. Sed multo magis deplorandum nobis videtur, quod nuperrime, 1893, vir doctissimus P. Gasparri in *Tractatu Canonico de Sacra Ordinatione*, quem saepe citavimus, sententiam contra valorem Ordinationum Anglicanarum ex his nugis historicis reportaverit. Cum enim inter reordinationem conditionalem atque absolutam distinxerit (n. 778), ita pergit: "Haec absoluta reordinatio fit cum ministris Anglicanis....Nam consecratio episcoporum Anglicanorum est nulla ob substantialem defectum (n. 1111 in nota); semel vero admissa invaliditate consecrationis episcoporum Anglicanorum, patet omnes ordinationes Anglicanas irritas esse." Item cum Sacram Cong. S. O. in casu Abyssinorum (*vide infr.* App. VI.) Ordinationem presbyteralem cum solis verbis *Accipe Spiritum Sanctum* neque valere declarasse neque in nullitatem reiecisse docuerit (n. 1058), "Ceterum," inquit, "nullitas ordinationum Anglicanarum ex alio fonte fluit (n. 1111 in nota)." Ad eundem fontem remittimur. Et qualem? Audi notam citatam. "Ex dictis apparet nullam esse consecrationem episcopalem Anglicanorum, et consequenter nullas quoque esse alias eorundem ordinationes. Nam Mathaeus Parcker a quo reliqui episcopi Anglicani originem habent, fuit una cum aliis tribus consecratus per impositionem super caput sacrorum bibliorum cum verbis: *Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate.* Vide Perrone, *De Ordine*, n. 137, *not.* 4."

321. Haec certe fabulam cauponariam sapiunt. Ad Perronium autem missi convertimur. Hoc iudice ordinationes Anglicanae invalidae censentur, non quia ab episcopis haereticis et schismaticis conferuntur, sed

tum ob defectum successionis episcoporum, tum ob vitiatam essentialiter formam. Quomodo autem defectum successionis probat? Audi. "Tradunt enim scriptores coaevi Matthaeum Parkerum, a quo reliqui episcopi Anglicani haeretici originem trahunt, fuisse Londini in diversorio a J. Scoraeo episcopo Roffensi inauguratum, una cum tribus aliis absque legitima materia ac forma. Siquidem Scoraeus, super eorum capita impositis sacris bibliis, haec verba tantum adiecit: 'Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate.' Per annos plurimos factum istud ab oculatis testibus traditum pro certo habitum est, quin ullus reclamaverit. Postea tamen Protestantes eidem opposuerunt Acta Lambethana, eruta, ut affirmabant, ex archivio ipso palatii episcopalis Lambethensis, quae exhibent Parkeri aliorumque ordinationem solemniter factam esse in sacello eiusdem palatii a Guil. Barlowio electo episcopo Cestriensi[1], 17 dec. 1559. Prodierunt autem primo eiusmodi Acta post medium seculum, nempe an. 1613. Hinc tanquam supposititia aut saltem suspecta catholici scriptores ea non immerito traduxerunt. Haec disceptatio finem suum attigisse videbatur, donec his annis denuo mota est, ex occasione qua doctor Lingard pugnavit pro veritate Actorum Lambethanorum, adversus quem insurrexit Thomas Hodgson. Protestatus tamen est Lingard non propterea propugnare voluisse valorem Anglicanarum ordinationum. Cf. The Catholic Magazine, vol. 6, febr. 1835, n. 40, pag. 70."

322. En habes abbreviatam fabulam iuxta recensionem quam Le Quien e pluribus fontibus derivatam composuit. Formam et materiam Champnaeus; numerum promotorum Fitzsimon praebuit. Unde autem illi *scriptores coaevi*? E libro Talboti credimus eos prodiisse, qui affirmat historiam a sapientibus narratam ac pro certa creditam inde ab anno 1559 fuisse[2]. Quos autem huiusmodi sapientes refert? Nempe fabulatores post annum 1604 florentes. Parsonum ex mero errore addit (p. 211); nam praefationem Fitzherberti ad opera Parsoni post eius mortem anno 1613 scriptam citat. Hi sunt Perronii *scriptores coaevi.* Contra putat nostrates solo Registri testimonio adversus fabulatores usos esse. Nihilne in hac parte legerat? Putat, ni fallimur, Lingardum a Thoma Hodgson rationibus obrutum esse. Quaenam vero huius argumenta? Crambe repetita; loci detriti; somnia dissipata; *haec est farrago libelli.* Omnia quae Lingard iam superiore anno deiecerat, scriptor imprudens denuo aedificare conatus est. Non has nugas ille animadvertit; hic vero non victor sed potius neglectus evasit.

[1] Sic pro *Cicestrensi* scripsit post Hardouinum, qui mira quadam perversitate contra veritatem Registri Lambethani invectus est, quia scilicet Barlow ibidem *Cicestrensis* electus nuncupatur. Nescimus quomodonam Hardouin in hunc errorem inciderit, quo potissimum fretus omnia Registra more suo falsitatis insimulat.

[2] "It hath been constantly related and credited by wise men as a certain truth ever since the year 1559." Talbot, *Nullity of the Prelatick Clergy*, p. 75.

323. His tandem fretus Perrone sententiam suam contra valorem ordinationum Anglicanarum tulit, quem nimia securitate secutus est Gasparri. Quod si vir doctissimus rem ipsemet indagasset, tantum errorem proculdubio evitasset. Non certe est ex eis qui partium suarum dubia fictis et fabellis fulcienda curent.

324. Neque et alii. Non pauci enim ex ipsis adversariis nostris hanc fabulam indignantur. Ita testatur Tierney, rerum gestarum doctissimus indagator:—"Videtur Dodd historiam de consecratione tabernaria probatam esse voluisse. Equidem vero omnibus quae de hac re scripta sunt accurate perlectis in sententiam contrariam ire coactus sum[1]." Lingard in epistolis istis ad *The Birmingham Catholic Magazine* anno 1834 scriptis totam historiam ridendo obruit. Tandem Estcourt (*op. cit.* p. 154) huiusmodi ineptias tanquam veram controversiae disceptationem impedientes ingenue deplorat.

[1] Dodd, *Church History*, edit. Rev. M. A. Tierney, F.R.S., vol. ii. p. cclxxvii. in nota. (London, 1839.)

APPENDIX V.

RITUS ORDINATIONUM.

325. Primus ordinationum ritus Anglicanus in lingua vernacula scriptus anno 1550 prodiit, sub titulo *The forme and maner of makyng and consecratyng of Archebishoppes, Bishoppes, Priestes and Deacons.* Liber a Ricardo Grafton typographo regio excusus est "Mense Martii A. MDXLIX.," iuxta veterem computationem, anno in festivitate Annunciationis B. V. M. incipiente.

326. Mox vergente anno 1552 ritus denuo castigatus est, qui tamen post paucos menses Maria regnum excipiente antiquabatur, donec anno 1559 episcopi absque auctoritate parliamenti, ut in capitibus primo et tertio huius operis ostendimus, eum in usum instauraverunt. Hoc igitur anno Liber typis denuo mandatus est, excudentibus Ricardo Jugge et Johanne Cawood typographis regiis. Ritum iuxta hanc editionem hic imprimendum curavimus, ea tamen lege, ut textum lectionum, litaniae, atque hymni *Veni Creator*, omiserimus. Versionem Latinam adiunximus, quam ex *Libro Precum Publicarum* a viris doctissimis Willelmo Bright et Petro Goldsmith Medd Latine reddito, ipsis benignissime annuentibus, maxima ex parte desumpsimus.

327. Porro in margine quaedam disposuimus, tum quae in libro anni 1550 contenta, tum quae anno 1662 mutata sunt, cum tandem ritus in eam formam redactus est quae adhuc servatur. Mutationes autem quae verba tantum respiciunt negleximus. In verbis Anglicis dispositionem litterarum hodie usitatam reddimus.

THE FORM AND MANNER OF MAKING AND CONSECRATING BISHOPS, PRIESTS, AND DEACONS. ANNO DOMINI 1559.

The Preface.

328. *It is evident unto all men, diligently reading holy Scripture, and ancient authors, that from the Apostles' time there hath been these orders of Ministers in Christ's Church: Bishops, Priests, and Deacons: which offices were evermore had in such reverent estimation, that no man, by his own private authority, might presume to execute any of them, except he were first called, tried, examined, and known to have such qualities as were requisite for the same; and also by public prayer, with imposition of hands, approved and admitted thereunto. And therefore, to the intent these orders should be continued, and reverently used and esteemed in this Church of England: it is requisite, that no man (not being at this present Bishop, Priest, nor Deacon) shall execute any of them, except he be called, tried, examined, and admitted, according to the form hereafter following*[1]. *And none shall be admitted a Deacon, except he be .xxi.*[2] *years of age at the least. And every man, which is to be admitted a Priest, shall be full .xxiiii. years old. And every man, which is to be consecrated a Bishop, shall be fully thirty years of age. And the Bishop, knowing, either by him self or by*

[1] 1662, *or hath had formerly Episcopal Consecration, or Ordination.*
[2] 1662, *Twenty-three.*

ORDO ET RITUS FACIENDI ET CONSECRANDI EPISCOPOS, PRESBYTEROS, ET DIACONOS. ANNO DOMINI 1559.

Praefatio.

Manifestum est omnibus, sacram Scripturam et veteres auctores diligenter perlegentibus, exstitisse in Ecclesia Christi ex Apostolorum temporibus hosce Ministrorum ordines, Episcopos, Presbyteros, et Diaconos. Quae quidem munera ita magni semper aestimabantur ut nemo propria auctoritate ullo eorum fungi auderet, nisi qui iam vocatus esset, probatus, examinatus, et eidem sustinendo par esse satis cognitus; et praeterea per preces publicas cum impositione manuum ad id approbatus et admissus. Igitur, quo isti ordines in Ecclesia Anglicana conservari possint, et reverentia debita usurpari et aestimari, sancitum est ut nemo (nondum Episcopus, Presbyter, Diaconusve exsistens) ullum eorum exsequatur nisi qui secundum ritum sequentem vocatus, probatus, examinatus, et admissus fuerit[1]. *Nullus autem ad Diaconatus ordinem ante vicesimum primum*[2] *aetatis suae annum admittatur. Et quisque in Presbyteratum ordinandus annum vicesimum quartum; quisque autem in Episcopatum consecrandus tricesimum complevisse debet. Episcopus, cum vel ipse vel ex sufficiente testi-*

[1] 1662, *aut qui Consecrationem vel Ordinationem Episcopalem iam antea susceperit.*
[2] 1662, *vicesimum tertium.*

sufficient testimony, any person to be a man of virtuous conversation, and without crime, and after examination and trial, finding him learned in the Latin tongue, and sufficiently instructed in holy Scripture, may, upon a Sunday or holy day, in the face of the Church, admit him a Deacon, in such manner and form, as hereafter followeth.

monio certo sciat aliquem honeste vivere, et vitii expertem esse, et post examen et probationem in Latina lingua doctum et in Sacra Scriptura sufficienter eruditum esse invenerit, potest eum in Dominica vel Festo die in facie Ecclesiae secundum ritum et ordinem sequentem in Diaconatum promovere.

THE FORM AND MANNER OF ORDERING OF DEACONS.

ORDO ET RITUS AD FACIENDOS DIACONOS.

329. *First, when the day appointed by the Bishop is come, there shall be an exhortation, declaring the duty and office of such as come to be admitted Ministers, how necessary such orders are in the church of Christ, and also how the people ought to esteem them in their vocation.*

Primum, die ab Episcopo constituto, fiat exhortatio, qua populus doceatur quid sit munus et officium assumendorum in Ministerium; quam necessarii in Ecclesia Christi sint isti ordines; et quanti eos in officio eorum aestimare debeat populus.

After the exhortation ended, the archdeacon, or his deputy, shall present such as come to the Bishop to be admitted, saying these words.

Finita exhortatione Archidiaconus aut delegatus eius eos qui ad Episcopum admittendi venerint hisce verbis praesentet.

Reverend father in God, I present unto you these persons present, to be admitted Deacons.

Reverende in Deo Pater, praesento tibi hosce praesentes in Diaconatum assumendos.

The Bishop.

Take heed that the persons whom ye present unto us, be apt and meet, for their learning and godly conversation, to exercise their ministry duly, to the honour of God, and edifying of his church.

Episcopus.

Vide ut ei quos nobis praesentas apti sint et digni, pro scientia et morum pietate, qui ministerium suum rite exsequantur, ad honorem Dei, et aedificationem ecclesiae eius.

The Archdeacon shall answer.

I have inquired of them, and also examined them, and think them so to be.

Respondeat Archidiaconus.

Inquisitione de eis habita, et examine facto, aptos et dignos esse eos existimo.

And then the Bishop shall say unto the people.

Brethren, if there be any of you, who knoweth any impediment, or notable crime, in any of these persons presented to be ordered Deacons, for the which he ought not to be admitted to the same, let him come forth in the name of God, and shew what the crime or impediment is.

And if any great crime or impediment be objected, the Bishop shall surcease from ordering that person, until such time as the party accused shall try him self clear of that crime.

Then the Bishop, commending such as shall be found meet to be ordered to the prayers of the congregation, with the Clerks and people present, shall say or sing the Litany as followeth, with the prayers.

The Litany and Suffrages.

O God the Father, of heaven : have mercy upon us miserable sinners, etc.

[*with this special suffrage,*

That it may please thee to bless these men, and send thy grace upon them, that they may duly execute the Office now to be committed unto them, to the edifying of thy Church, and to thy honour, praise and glory; *We beseech thee, etc.*]

Then shall be said also this that followeth.

Almighty God, which by thy divine providence hast appointed diverse orders of ministers in the church: and didst inspire thine holy Apostles to choose unto this

Deinde Episcopus populum alloquatur.

Fratres, si quis vestrum scit ullum impedimentum aut notabile crimen, quod prohibet ne aliquis horum iam ad Diaconatus ordinem suscipiendum praesentatorum ad id officium promoveatur, pro Deo exeat, et crimen aut impedimentum, quidquid sit, declaret.

Si autem aliquod grave crimen aut impedimentum obiciatur, Episcopus differat ordinationem accusati, donec criminis illius expers esse visus fuerit.

Deinde Episcopus, eos qui ordinatione digni visi fuerint congregationis precibus commendans, cum Clero et populo praesente Litaniam cum orationibus, prout sequitur, dicat vel cantet.

Litania cum suffragiis.

Pater de caelis Deus, Miserere nobis, etc.

[*cum hoc suffragio proprio,*

Ut istos benedicere et super eos gratiam tuam effundere digneris; quatenus Officium eis conferendum rite exsequantur, in aedificationem Ecclesiae tuae, et ad honorem laudem et gloriam tuam; *Te rogamus, audi nos.*]

Deinde dicatur sequens Oratio.

Omnipotens Deus qui divina providentia tua varios ministrorum ordines in ecclesia constituisti, et sanctos Apostolos tuos inspiratione tua docuisti in Diaconorum ordinem

order of Deacons the first martyr S. Stephen, with other: mercifully behold these thy servants, now called to the like office and administration: replenish them so with the truth of thy doctrine, and innocency of life, that both by word and good example they may faithfully serve thee in this office, to the glory of thy name, and profit of the congregation, through the merits of our Saviour Jesu Christ: who liveth and reigneth with thee, and the Holy Ghost, now and ever. *Amen.*

S. Stephanum protomartyrem cum aliis eligere; respice propitius hos famulos tuos, in idem officium et ministerium iam vocatos; et eos doctrinae tuae veritate et vitae innocentia ita adimple, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam nominis tui, atque ad commodum congregationis; per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti nunc et in omnia saecula saeculorum. *Amen.*

330. *Then shall be sung or said the Communion of the day, saving the Epistle shall be read out of Timothe, as followeth:*

Likewise must the Ministers... received up in glory.

Or else this out of the sixth of the Acts.

Then the twelve called...obedient unto the faith.

And before the Gospel, the Bishop, sitting in a chair, shall cause the Oath of the Queen's supremacy, and against the power and authority of all foreign potentates, to be ministered unto every of them that are to be ordered.

Deinde cantetur aut dicatur officium Communionis de tempore, excepto quod Epistola ex Timotheo legatur, prout sequitur;

Diaconos similiter pudicos... assumptum est in gloria.

Aut haec e sexto Actuum;

Convocantes autem duodecim... obediebat fidei.

Et ante Evangelium, Episcopus, in faldistorio sedens, Juramentum de regia supremitate, contra omnium rectorum extraneorum potestatem et auctoritatem, unicuique ordinandorum praestandum curet.

The Oath of the Queen's sovereignty.

I *A. B.* do utterly testify and declare in my conscience that the queen's highness is the only supreme governour of this realm, and of all other her highness' dominions and countries, as well in all spiritual or ecclesiastical things or causes, as temporal; and that no foreign prince, person, prelate, state, or potentate, hath or ought to have

Juramentum de regia supremitate.

Ego *A. B.* testor et ex mea conscientia affirmo regiam maiestatem solam huius regni omniumque aliarum regionum suae ditioni subiectarum gubernationem supremam, tam in rebus et causis spiritualibus ecclesiasticisve quam in temporalibus, habere; nulli extraneo principi, personae, praelato, civitati, aut rectori iurisdictionem, potesta-

any jurisdiction, power, superiority, pre-eminence or authority, ecclesiastical or spiritual, within this realm: and therefore I do utterly renounce and forsake all foreign jurisdictions, powers, superiorities and authorities, and do promise that from henceforth I shall bear faith and true allegiance to the Queen's highness, her heirs and lawful successors, and to my power shall assist and defend all jurisdictions, privileges, pre-eminences, and authorities granted or belonging to the Queen's highness, her heirs and successors, or united and annexed to the imperial crown of this realm, so help me God, and the contents of this book.

tem, superioritatem, primatum aut auctoritatem quamcumque ecclesiasticam seu spiritualem intra hoc regnum esse vel esse debere; quapropter ego omnes iurisdictiones potestates superioritates et auctoritates extraneas totaliter abrenuncio, et promitto me fidelitatem et veram obedientiam regiae maiestati, haeredibus eius et successoribus iure constitutis, praestiturum, et omnes iurisdictiones privilegia primatus et auctoritates regiae maiestati, haeredibus eius et successoribus datas et pertinentes, aut imperio huius regni unitas et annexas, pro viribus defensurum, et eisdem subventurum esse, ita me adiuvet Deus, et quae in hoc libro continentur.

331. *Then shall the Bishop examine every one of them that are to be ordered, in the presence of the people, after this manner following.*

Deinde Episcopus singulos ordinandos coram populo modo sequenti examinet.

Do you trust that you are inwardly moved by the Holy Ghost to take upon you this office and ministration, to serve God, for the promoting of his glory, and the edifying of his people?

Answer. I trust so.

Confiditis vos a Spiritu Sancto interius adductos esse, ut hoc officium et ministerium suscipiatis, quo Deo serviatis ad gloriam eius promovendam, et populum aedificandum?

Resp. Ita confido.

The Bishop.

Do ye think that ye truly be called, according to the will of our Lord Jesus Christ, and the due order of this realm, to the ministry of the Church?

Answer. I think so.

Episcopus.

Putatis vos ad Ecclesiae ministerium secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et disciplinam in hoc regno constitutam, revera vocatos esse?

Resp. Ita puto.

The Bishop.

Do ye unfeignedly believe all the Canonical scriptures of the old and new Testament?

Answer. I do believe.

Episcopus.

Creditis sincere omnes scripturas Canonicas veteris et novi Testamenti?

Resp. Credo.

The Bishop.

Will you diligently read the same unto the people assembled in the church, where you shall be appointed to serve?

Answer. I will.

Episcopus.

Vultis eas ad populum in ecclesia in qua ad ministrandum constituti fueritis congregatum diligenter legere?

Resp. Volo.

The Bishop.

It pertaineth to the office of a Deacon in the church where he shall be appointed, to assist the Priest in divine service, and specially when he ministereth the holy communion, and to help him in distribution thereof, and to read holy scriptures and Homilies in the congregation, and to instruct the youth in the Catechism, to Baptize and to preach, if he be admitted thereto by the Bishop. And furthermore, it is his office, where provision is so made, to search for the sick, poor, and impotent people of the parish, and to intimate their estates, names, and places where they dwell, to the curate, that by his exhortation they may be relieved by the parish, or other convenient alms: will you do this gladly and willingly?

Answer. I will so do by the help of God.

Episcopus.

Diaconum oportet, in ecclesia in qua constitutus fuerit, Sacerdoti servitium divinum peragenti, et praecipue sacram communionem celebranti assistere, et in eadem impertienda operam praebere, et sacras scripturas, et Homilias in congregatione legere; iuventutem Catechismo erudire; Baptizare et praedicare, si ad id ab Episcopo admissus fuerit. Praeterea oportet eum, ubi ita constitutum fuerit, aegrotos pauperes et infirmos intra parochiam habitantes exquirere, et eorum conditiones nomina et domicilia parocho indicare, ut per hortationes eius parochianorum aut aliorum eleemosynis convenienter reficiantur. Vultis haec facere libenter et alacriter?

Resp. Hoc, cum Dei auxilio, facere volo.

The Bishop.

Will you apply all your diligence to frame and fashion your own lives, and the lives of all your family, according to the doctrine of Christ, and to make both your selves and them, as much as in you lieth, wholesome examples of the flock of Christ?

Answer. I will so do, the Lord being my helper.

Episcopus.

Vultis ad hoc omnem operam conferre, ut vestri ipsorum et familiarum vestrarum mores secundum doctrinam Christi conformetis, et tam vos quam eas, quod ex vobis erit, exemplaria gregi Christi salutaria reddatis?

Resp. Hoc, Domino adiuvante, facere volo.

The Bishop.

Will you reverently obey your ordinary, and other chief Ministers of the church, and them to whom the government and charge is committed over you, following with a glad mind and will their godly admonitions?

Answer. I will thus endeavour my self, the Lord being my helper.

332. *Then the Bishop, laying his hands severally upon the head of every of them, shall say.*

Take thou authority to execute the office of a Deacon in the church of God committed unto thee: in the name of the Father, the Son, and the Holy Ghost. *Amen.*

Then shall the Bishop deliver to every one of them the new Testament, saying.

Take thou authority to read the gospel in the church of God, and to preach the same, if thou be thereunto ordinarily commanded[1].

Then one of them appointed by the Bishop[2] *shall read the gospel of that day.*

Then shall the Bishop proceed to the Communion, and all that be ordered shall tarry and receive the holy Communion the same day with the Bishop.

The Communion ended, after the last Collect, and immediately before benediction, shall be said this Collect following.

Almighty God giver of all good things, which of thy great goodness

[1] 1662, licensed by the Bishop himself.

[2] 1550, *putting on a tunicle.*

Episcopus.

Vultis ordinario vestro, et aliis superioribus ecclesiae Ministris, quibus cura vestri regimenque committetur, reverenter obedire, piis eorum monitionibus omni mentis et voluntatis alacritate obtemperantes?

Resp. Ad hoc dabo operam, adiuvante Domino.

Deinde Episcopus, super capita singulorum manus imponens, dicat,

Accipe potestatem exsequendi officium Diaconi in ecclesia Dei tibi commissum; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Deinde Episcopus singulis novum Testamentum tradat, dicens,

Accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei, idque etiam praedicandi, si tibi hoc ordinate mandatum fuerit[1].

Deinde unus ex eis, ab Episcopo designatus[2], *evangelium de tempore legat.*

Deinde Episcopus ad Communionem procedat, et omnes ordinati maneant, et sacram Communionem eodem die cum Episcopo percipiant.

Communione perfecta, post ultimam Orationem, et immediate ante benedictionem dicatur haec sequens Oratio.

Omnipotens Deus, omnium bonorum dator, qui pro magna boni-

[1] 1662, si ad hoc ab ipso Episcopo facultatem susceperis.

[2] 1550, *dalmatica indutus.*

hast vouchsafed to accept and take these thy servants unto the office of Deacons in thy church: make them we beseech thee (O Lord) to be modest, humble, and constant in their ministration, to have a ready will to observe all spiritual discipline, that they having always the testimony of a good conscience, and continuing ever stable, and strong in thy Son Christ, may so well use them selves in this inferior office, that they may be found worthy to be called unto the higher ministries in thy church, through the same thy Son our Saviour Christ: to whom be glory and honour, world without end. *Amen.*

tate tua hos famulos tuos ad officium Diaconatus in ecclesia tua assumere et suscipere dignatus es: Fac eos, quaesumus Domine, modestos esse, humiles, in ministerio constantes, et promptos ad spiritualis observantiam disciplinae: ut semper bonum conscientiae testimonium praeferentes, in Christo Filio tuo firmi et stabiles perseverent; et in hoc inferiori gradu tam bene se gerant, ut digni inveniantur qui ad potiora in ecclesia tua ministeria vocentur; per eundem Filium tuum Salvatorem nostrum Christum, cui sit gloria et honor per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

333. *And here it must be shewed unto the Deacon, that he must continue in that office of a Deacon the space of a whole year at the least (except for reasonable causes it be otherwise seen to his ordinary) to the intent he may be perfect, and well expert in the things appertaining to the Ecclesiastical administration: in executing whereof if he be found faithful and diligent, he may be admitted by his Diocesan to the order of Priesthood.*

Hic autem indicandum est Diacono, quod oportebit eum in Diaconatu per annum integrum (nisi ob causam sufficientem aliter ordinario visum fuerit) permanere; quatenus in omnibus, quae ad ministeria ecclesiastica pertinent, perfectus sit et satis exercitatus: in quibus exsequendis si fidelis et diligens inventus fuerit, ad ordinem Presbyteratus ab Episcopo proprio admitti poterit.

THE FORM OF ORDERING PRIESTS.

RITUS AD ORDINANDOS PRESBYTEROS.

334. *When the exhortation is ended, then shall follow the Communion. And for the Epistle shall be read out of the twenty Chapter of the Acts of the Apostles, as followeth:*

Finita exhortatione, sequatur Communio. Pro Epistola ex capite vicesimo Actuum Apostolorum haec legantur:

From Mileto Paul sent...to give, than to receive.

A Mileto autem mittens...magis dare quam accipere.

Or else this third Chapter of the first Epistle to Timothe.

This is a true saying...received up in glory.

Aut hoc tertium caput Epistolae ad Timotheum primae.

Fidelis sermo...assumptum est in gloria.

After this shall be read for the gospel a piece of the last Chapter of Mathew, as followeth.

Jesus came and spake...the end of the world.

Postea pro Evangelio legatur pars ultimi capitis Matthaei, prout sequitur.

Et accedens Jesus locutus...ad consummationem saeculi.

Or else this that followeth out of the tenth chapter of John.

Verily, verily, I say...one fold, and one shepherd.

Aut quod sequitur e decimo capite Johannis.

Amen, amen, dico vobis...unum ovile, et unus pastor.

Or else this of the .xx. Chapter of John.

The same day at night...they are retained.

Aut hoc e capite vicesimo Johannis.

Cum ergo sero esset...retenta sunt.

When the Gospel is ended, then shall be said or sung.

Come, Holy Ghost, etc.

Finito Evangelio deinde dicatur aut cantetur.

Veni Creator, etc.[1]

335[2]. *And then the Archdeacon shall present unto the Bishop all them that shall receive the order of Priesthood that day. The Archdeacon saying.*

Reverend father in God, I present unto you these persons present, to be admitted to the Order of Priesthood.

Deinde Archidiaconus omnes qui illo die Presbyteratus ordinem suscepturi sunt Episcopo praesentet. Archidiacono dicente,

Reverende in Deo pater, praesento tibi hosce praesentes in Ordinem Presbyteratus assumendos.

Cum interrogatione et responsione, ut in Ordine Diaconatus.

And then the Bishop shall say to the people.

Good people, these be they whom we purpose, God willing, to receive this day unto the holy office of Priesthood. For after due ex-

Cum interrogatione et responsione, ut in Ordine Diaconatus.

Deinde Episcopus populum alloquatur.

Adsunt, dilectissimi, quos in sacrum Sacerdotii officium, Deo volente, hodie assumere statuimus. Nam post debitum examen factum

[1] 1662, cantatur post examen.

[2] 1662, Haec tota sectio aliquot tantum verbis in rubrica mutatis ante missam inchoatam adhibetur.

amination, we find not the contrary but that they be lawfully called to their function and ministry, and that they be persons meet for the same: but yet if there be any of you which knoweth any impediment, or notable crime in any of them, for the which he ought not to be received into this holy ministry; now in the name of God declare the same.

nihil nobis compertum est nisi quod in munus illud et ministerium legitime vocantur, et digni sunt qui id suscipiant: sed tamen, si quis vestrum scit ullum impedimentum aut notabile crimen, quod prohibet ne aliquis horum in hoc sacrum ministerium assumatur; nunc pro Deo idem declaret.

And if any great crime or impediment be objected, etc.

Ut supra in Ordine Diaconatus usque ad finem Litanie cum hac Collecta.

Si autem aliquod grave crimen aut impedimentum obiciatur, etc. ut supra in Ordine Diaconatus usque ad finem Litaniae cum hac collecta.

Almighty God, giver of all good things, which by thy Holy Spirit hast appointed diverse orders of Ministers in thy church, mercifully behold these thy servants, now called to the office of Priesthood, and replenish them so with the truth of thy doctrine, and innocency of life, that both by word, and good example, they may faithfully serve thee in this office, to the glory of thy name, and profit of thy congregation, through the merits of our Saviour Jesu Christ: who liveth and reigneth with thee, and the Holy Ghost, world without end. *Amen.*

Omnipotens Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum Sanctum tuum varios Ministrorum ordines in ecclesia constituisti: Respice propitius hos famulos tuos, in officium Sacerdotii iam vocatos: et eos doctrinae tuae veritate et vitae innocentia ita adimple, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam tui nominis, et ad commodum congregationis tuae; per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

336. *Then the Bishop shall minister unto every one of them the oath concerning the Queen's supremacy, as it is set out in the order of Deacons. And that done, he shall say unto them which are appointed to receive the said Office, as hereafter followeth.*

Deinde Episcopus unicuique eorum iuramentum de regia supremitate, ut in ordine Diaconatus exhibetur praestet. Quo finito Ordinandos verbis sequentibus alloquatur.

You have heard, brethren, as well in your private examination,

Audivistis, fratres, tam in privato vestri examine, quam in exhor-

as in the exhortation, and in the holy lessons taken out of the Gospel, and of the writings of the Apostles, of what dignity, and of how great importance this office is (whereunto ye be called). And now we exhort you, in the name of our Lord Jesus Christ, to have in remembrance, into how high a dignity, and to how chargeable an office ye be called, that is to say, to be the messengers, the watchmen, the Pastors, and the stewards of the Lord: to teach, to premonish, to feed, and provide for the Lord's family: to seek for Christ's sheep that be dispersed abroad, and for his children which be in the midst of this naughty world, to be saved through Christ for ever. Have always therefore printed in your remembrance, how great a treasure is committed to your charge: for they be the sheep of Christ, which be bought with his death, and for whom he shed his blood. The church and congregation whom you must serve, is his spouse and his body. And if it shall chance the same church or any member thereof to take any hurt or hinderance, by reason of your negligence, ye know the greatness of the fault, and also of the horrible punishment which will ensue. Wherefore consider with yourselves the end of your ministry, towards the children of God, towards the spouse and body of Christ, and see that you never cease your labour, your care and diligence, until you have done all that lieth in you, according to your bounden duty, to bring all such as are, or shall be committed to your charge, unto that agree-

tatione, et in sacris lectionibus ex Evangelio et scriptis Apostolorum desumptis, quanta sit dignitas, quanta gravitas, istius muneris ad quam vocamini. Nunc autem iterum hortamur vos, in Nomine Domini nostri Jesu Christi, ut dignitatis ad quam vocamini excellentiam, curae et officii onus, in memoria habeatis. Domini enim eritis nuntii, speculatores, Pastores et dispensatores. Vestri erit familiam Domini docere, monere, pascere, curare; Christi etiam oves dispersas, et filios eius in medio mundanae pravitatis habitantes requirere, quatenus per Christum salutem aeternam consequantur. Sit ergo vestrae semper memoriae impressum, quantus sit thesaurus vobis commissus. Sunt enim oves Christi, quas morte sua acquisivit, et pro quibus sanguinem suum effudit. Ecclesia et congregatio cui servituri estis sponsa eius est et corpus. Et si quando eidem ecclesiae, aut cui eius membro, damni aliquid aut impedimenti negligentia vestra attulerit, delicti eiusmodi gravitatem satis nostis, et poenam quae id insecutura est horribilem. Quamobrem vobis considerandum est, quid spectet ministerium vestrum quoad filios Dei, et sponsam atque corpus Christi. Imo videte ne quid laboris, curae, et diligentiae omittatis, donec omnem operam pro viribus, sicut vos oportet, dederitis, quo omnes qui curae vestrae aut sint aut fuerint commissi, ad eam in Dei fide et cognitione uni-

ment in faith, and knowledge of God, and to that ripeness and perfectness of age in Christ, that there be no place left among you, either for error in religion, or for viciousness in life.

Then, forasmuch as your office is both of so great excellency, and of so great difficulty, ye see with how great care and study ye ought to apply your selves, as well that you may shew yourselves kind to that Lord, who hath placed you in so high a dignity, as also to beware that neither you your selves offend, neither be occasion that other offend. Howbeit, ye can not have a mind and a will thereto of your selves, for that power and ability is given of God alone. Therefore ye see how ye ought and have need earnestly to pray for his Holy Spirit. And seeing that you can not by any other means compass the doing of so weighty a work pertaining to the salvation of man, but with doctrine and exhortation taken out of holy Scripture, and with a life agreeable unto the same; ye perceive how studious ye ought to be in reading and in learning the Scriptures, and in framing the manners, both of your selves, and of them that specially pertain unto you, according to the rule of the same Scriptures. And for this self same cause, ye see how you ought to forsake and set aside (as much as you may) all worldly cares and studies.

We have good hope, that you have well weighed and pondered these things with your selves long before this time, and that you have clearly determined, by God's grace

tatem, et eam aetatis in Christo perfectam maturitatem perducatis, quae nec erroribus in religione, nec in moribus pravitati, ullum apud vos relinquat locum.

Cum igitur officii vestri tanta sit excellentia, tanta difficultas, videtis quantum studii et operae a vobis adhibendum sit, ut et Domino qui vos in tam alto dignitatis gradu collocavit, gratos vos exhibeatis, et caveatis ne ille per vos, nec vobis auctoribus per alios, offendatur. Cum tamen ex vobismetipsis id propositum eamque voluntatem habere non valetis, (a Deo enim solo datur id posse,) debetis, quod et ipsa necessitas requirit, Sanctum Dei Spiritum studiosius postulare. Praeterea, cum non alia ratione tantum opus, ad hominum salutem pertinens, perficere valeatis, nisi doctrina et hortationibus ex Sacra Scriptura desumptis, et ratione quae eis congruat vivendi; videtis quam diligenter vobis legendae sint et ediscendae Scripturae, et mores tam vestri ipsorum quam eorum qui ad vos proxime pertineant, ad Scripturarum normam conformandi: quam necessario etiam, hanc eandem ob causam, oporteat vos studia et sollicitudines, quae de mundo sunt, quantum in vobis erit, prorsus deponere.

Magnam profecto spem habemus, vos iamdudum haec omnia satis animo perpendisse, et certo statuisse vos totos, favente Deo,

to give your selves wholly to this vocation, whereunto it hath pleased God to call you, so that (as much as lieth in you) you apply your selves wholly to this one thing, and draw all your cares and studies this way and to this end: and that you will continually pray for the heavenly assistance of the Holy Ghost from God the Father, by the mediation of our only mediator and Saviour Jesus Christ, that by daily reading and weighing of the Scripture ye may wax riper and stronger in your ministry; and that ye may so endeavour your selves from time to time to sanctify the lives of you and yours, and to fashion them after the rule and doctrine of Christ; and that ye may be wholesome and Godly examples and patterns for the rest of the congregation to follow. And that this present congregation of Christ here assembled may also understand your minds and wills in these things: and that this your promise shall more move you to do your duties, ye shall answer plainly to these things, which we, in the name of the congregation, shall demand of you, touching the same.

Do you think in your heart that you be truly called according to the will of our Lord Jesus Christ, and the order of this Church of England, to the ministry of Priesthood?

Answer. I think it.

The Bishop.

Be you persuaded that the holy Scriptures contain sufficiently all doctrine required of necessity for

huic muneri dedicare, ad quod Deus vos vocare dignatus est: adeo ut, quantum ex vobis erit, ad hoc solum omnem diligentiam adhibere velitis, in hoc omnes curas, omnia studia conferre; et a Deo Patre, per Mediatorem Jesum Christum, unicum nostrum Salvatorem, caeleste Sancti Spiritus auxilium indesinenter petere: quatenus, maturitatem in ministerio et vigorem per quotidianam Scripturarum lectionem et meditationem consecuti, ita enitamini vestras vestrorumque etiam atque etiam purificare vitas, et ad normam doctrinamque Christi conformare, ut vestrae pietatis exemplo imitationem plebs acquirat salutarem.

Iam vero, quatenus Christi populus hic congregatus quid in hac re sentiatis, quid velitis, intelligat, et promissio iam a vobis facienda ad praestandum officium vestrum efficacius vos adducat, ad quaestiones quas de his in nomine congregationis vobis proponemus, diserte a vobis est respondendum.

Creditis in corde vos vere vocari, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et consuetudinem huius Ecclesiae Anglicanae, ad ministerium Presbyteratus?

Resp. Credo.

Episcopus.

Persuasum est vobis, in Scripturis sacris sufficienter contineri omnem doctrinam, ad aeternam

eternal salvation, through faith in Jesu Christ: And are you determined with the said scriptures to instruct the people committed to your charge, and to teach nothing (as required of necessity to eternal salvation) but that you shall be persuaded may be concluded and proved by the scripture?

Answer. I am so persuaded, and have so determined by God's grace.

per fidem in Jesu Christo salutem necessario suscipiendam? Et decrevistis ea quae ex eisdem Scripturis intelligitis plebem vestrae curae commissam docere, et nihil tradere tanquam ad salutem aeternam necessarium, nisi de quo vobis persuasum fuerit, per Scripturas concludi et probari posse?

Resp. Ita mihi persuasum est, et ita gratia Dei decrevi.

The Bishop.

Will you then give your faithful diligence always, so to minister the doctrine and Sacraments, and the discipline of Christ, as the Lord hath commanded, and as this realm hath received the same, according to the commandments of God, so that you may teach the people committed to your cure and charge with all diligence to keep and observe the same?

Answer. I will so do, by the help of the Lord.

Episcopus.

Vultis igitur diligentiam semper fideliter adhibere in Christi doctrina, Sacramentis, et disciplina ita administrandis, sicut Dominus praecepit, et hoc regnum eadem suscepit, secundum mandata Dei: quatenus populum curae vestrae commissum doceatis eadem omni diligentia observare?

Resp. Volo hoc facere, cum Domini auxilio.

The Bishop.

Will you be ready with all faithful diligence to banish and drive away all erroneous and strange doctrines, contrary to God's word, and to use both public and private monitions and exhortations, as well to the sick, as to the whole within your cures, as need shall require and occasion be given?

Answer. I will, the Lord being my helper.

Episcopus.

Parati eritis amovere atque depellere, omni fidelitate et diligentia, omnes falsas et alienas doctrinas, verbo Dei contrarias; et tam aegrotantes quam bene valentes, intra parochias vestras habitantes, si quando res postulet, aut occasio data sit, monitionibus et publicis et privatis adhortari?

Resp. Ad hoc, adiuvante Domino, paratus ero.

The Bishop.

Will you be diligent in prayers, and in reading of the holy scriptures, and in such studies as help to the knowledge of the same, lay-

Episcopus.

Vultis instare orationi, et lectioni sacrarum Scripturarum, eisque studiis quae cognitioni earum inser-

ing aside the study of the world and the flesh?

Answer. I will endeavour my self so to do, the Lord being my helper.

The Bishop.

Will you be diligent to frame and fashion your own self and your family according to the doctrine of Christ, and to make both your self and them (as much as in you lieth) wholesome examples and spectacles to the flock of Christ?

Answer. I will apply myself, the Lord being my helper.

The Bishop.

Will you maintain and set forwards (as much as lieth in you) quietness, peace, and love among all Christian people; and specially among them that are, or shall be, committed to your charge?

Answer. I will so do, the Lord being my helper.

The Bishop.

Will you reverently obey your Ordinary, and other chief ministers, unto whom the government and charge is committed over you, following with a glad mind and will their godly admonitions, and submitting your self to their godly judgments?

Answer. I will so do, the Lord being my helper.

Then shall the Bishop say.

Almighty God, who hath given you this will to do all these things, grant also unto you strength and power to perform the same, that he may accomplish his work, which he hath begun in you, until the time he shall come at the latter day, to judge the quick and the dead.

viunt, studio mundi carnisque seposito?

Resp. Ad hoc, adiuvante Domino, adhibebo diligentiam.

Episcopus.

Vultis operam dare ut vosmetipsos et familias vestras secundum Christi doctrinam conformetis, et quod ex vobis erit, exemplaria gregi Christi salutaria reddere?

Resp. Ad hoc, adiuvante Domino, operam dabo.

Episcopus.

Vultis, quantum ex vobis erit, inter omnes Christianos, eosque praecipue qui curae vestrae sint aut fuerint commissi, tranquillitatem, pacem, et charitatem conservare et promovere?

Resp. Volo, adiuvante Domino.

Episcopus.

Vultis Ordinario vestro, et aliis superioribus Ecclesiae ministris, quibus cura vestri regimenque committetur, reverenter obedire, piis eorum monitionibus omni mentis et voluntatis alacritate obtemperantes, vosque piis eorum iudiciis submittentes?

Resp. Volo, adiuvante Domino.

Deinde Episcopus dicat.

Omnipotens Deus, de cuius munere venit ut haec omnia facere velitis, virtutem etiam ad ea exsequenda vobis concedat, ut opus suum quod in vobis coepit perficiat, donec novissimo die advenerit ad iudicandum vivos et mortuos.

337. *After the congregation shall be desired, secret in their prayers, to make humble supplications to God for the foresaid things: for the which prayers there shall be a certain space kept in silence*[1].

That done, the Bishop shall pray in this wise.

Let us pray.

Almighty God and heavenly Father, which of thine infinite love and goodness towards us hast given to us thy only and most dear beloved Son Jesus Christ, to be our redeemer and author of everlasting life: who, after he had made perfect our redemption by his death, and was ascended into heaven, sent abroad into the world his Apostles, Prophets, Evangelists, Doctors, and Pastors, by whose labour and ministry he gathered together a great flock in all the parts of the world, to set forth the eternal praise of thy holy name: for these so great benefits of thy eternal goodness, and for that thou hast vouchsafed to call these thy servants here present to the same office and ministry of the salvation of mankind, we render unto thee most hearty thanks, we worship and praise thee, and we humbly beseech thee by the same thy Son, to grant unto all of us, which either here or else where call upon thy name, that we may shew our selves thankful to thee for these and all other thy benefits, and that we may daily increase and go forwards in the knowledge and faith of thee, and thy Son, by the Holy Spirit; so

Deinde rogandus est populus, ut haec omnia secreto orationibus suis a Deo suppliciter exposcat. Quod ut faciat, per aliquantum temporis sileatur[1].

Postea sic oret Episcopus.

Oremus.

Omnipotens Deus, Pater caelestis, qui ex infinita tua caritate et bonitate erga nos dedisti nobis unicum et dilectissimum Filium tuum Jesum Christum, ut sit Redemptor noster, et auctor vitae sempiternae; qui post redemptionem nostram morte sua perfectam, et ascensionem suam in coelos, dimisit in mundum Apostolos suos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, et Pastores: per quorum laborem et ministerium in omni regione mundi magnum gregem collegit, quo Nominis sancti tui laus aeterna celebraretur: Pro his tantis aeternae tuae bonitatis beneficiis, et propterea quod hos praesentes famulos tuos vocare dignatus es ad idem officium et ministerium in salutem humani generis institutum, gratias tibi ex animo referimus, laudamus et adoramus te: suppliciter rogantes per eundem Filium tuum, ut omnibus aut hic aut alibi nomen tuum invocantibus tribuas gratum tibi animum pro his et ceteris beneficiis tuis exhibere, et in cognitione et fide tui et Filii tui per Spiritum Sanctum quotidie crescere et proficere: adeo ut tam per hos

[1] 1662, Hoc loco cantatur Hymnus *Veni Creator*.

that as well by these thy ministers, as by them to whom they shall be appointed ministers, thy holy name may be always glorified, and thy blessed kingdom enlarged, through the same thy Son our Lord Jesus Christ: which liveth and reigneth with thee, in the unity of the same Holy Spirit, world without end. *Amen.*

ministros tuos, quam per eos super quos constituti fuerint ministri, sanctum Nomen tuum in aeternum glorificetur, et amplificetur benedictum regnum tuum; per eundem Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

338. *When this prayer is done, the Bishop with the Priests present shall lay their hands severally upon the head of every one that receiveth orders; the receivers humbly kneeling upon their knees, and the Bishop saying.*

Hac oratione perfecta, Episcopus cum Presbyteris qui praesentes sunt manus imponat super capita singulorum ordinandorum; suscipientibus humiliter genuflexis, Episcopo autem dicente.

Receive the Holy Ghost[1]: whose sins thou dost forgive, they are forgiven; and whose sins thou dost retain, they are retained: and be thou a faithful dispenser of the word of God, and of his holy Sacraments: In the name of the Father, and of the Son, and of the Holy Ghost. *Amen.*

Accipe Spiritum Sanctum[1]: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt: esto etiam fidelis verbi Dei, et sanctorum eius Sacramentorum dispensator: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

The Bishop shall deliver to every one of them the Bible in his hand, saying[2].

Episcopus unicuique eorum tradat in manus Biblia, dicens[2].

Take thou authority to preach the word of God, and to minister the holy sacraments in this congregation, where thou shalt be so appointed.

Accipe potestatem praedicandi verbum Dei, et administrandi sancta Sacramenta in ista congregatione, in qua fueris ad hoc constitutus.

[1] 1662, Receive the Holy Ghost, for the Office and Work of a Priest in the Church of God, now committed unto thee by the imposition of our hands.

[2] 1550, *The Bishop shall deliver to every one of them the Bible in the one hand, and the Chalice or Cup with the Bread, in the other hand, and say.*

[1] 1662, Accipe Spiritum Sanctum in Officium et Opus Sacerdotis in Ecclesia Dei, per impositionem manuum nostrarum iam tibi commissum.

[2] 1550, *Episcopus unicuique eorum tradat in alteram manum Biblia, in alteram Calicem cum Pane, dicens.*

339. *When this is done, the congregation shall sing the Creed, and also they shall go to the Communion, which all they that receive orders shall take together, and remain in the same place where the hands were laid upon them, until such time as they have received the Communion.*

Quibus peractis populus Credo *cantet, et exinde ad Communionem pergatur, quam omnes qui ordinantur simul percipere debent, et in eodem loco in quo manus sibi impositae sunt permanere, donec perceperint Communionem.*

The Communion being done, after the last Collect, and immediately before the benediction, shall be said this Collect.

Peracta Communione, post ultimam Orationem, et immediate ante benedictionem, recitetur haec Oratio.

Most merciful Father, we beseech thee so to send upon these thy servants thy heavenly blessing, that they may be clad about with all justice, and that thy word spoken by their mouths may have such success, that it may never be spoken in vain. Grant also that we may have grace to hear, and receive the same as thy most holy word, and the mean of our salvation, that in all our words and deeds we may seek thy glory, and the increase of thy kingdom, through Jesus Christ our Lord. *Amen.*

Super hos famulos tuos, quaesumus, Pater misericors, caelestem tuam effunde benedictionem: ut omni iustitia induantur, et verbum tuum per ipsorum ora praedicatum tam bene succedat, ut nunquam frustra proferatur. Nobis etiam, rogamus, eam gratiam tribue, ut idem sanctissimum verbum tuum pro instrumento salutis nostrae audiamus et amplectamur, quatenus in omnibus dictis operibusque nostris gloriam tuam quaeramus, et regni tui augmentum, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

And if the Orders of a Deacon and Priesthood be given both upon one day: then shall all things at the holy Communion be used as they are appointed at the ordering of Priests. Saving that for the Epistle, the whole third Chapter of the first to Timothe shall be read as it is set out before in the order of Priests. And immediately after the Epistle, the Deacons shall be ordered. And it shall suffice the Litany to be said once[1].

Si autem uno eodemque die Diaconatus et Presbyteratus conferantur: omnia ad sacram Communionem fiant sicut in ordinatione Presbyterorum habentur. Excepto quod pro Epistola tertium caput primae ad Timotheum totum legatur sicut in ritu de Presbyteris adhibetur. Post Epistolam statim Diaconi ordinentur. Et sufficiat ut Litania semel tantum dicatur[1].

[1] 1662, Haec plenius et accuratius explanantur.

THE FORM OF CONSECRATING OF AN ARCHBISHOP, OR BISHOP.

340. *At the Communion.*

The Epistle.

This is a true saying...snare of the evil speaker.

The Gospel.

Jesus said to Simon...Feed my sheep.

Or else out of the tenth chapter of John, as before in the order of Priests.

341. *After the Gospel and Creed ended, first the elected Bishop*[1] *shall be presented by two Bishops*[2] *unto the Archbishop of that province, or to some other Bishop appointed by his commission*[3]. *The Bishops that present him saying.*

Most reverend father in God, we present unto you this godly and well learned man, to be consecrated Bishop.

Then shall the Archbishop demand the Queen's mandate for the consecration, and cause it to be read. And the oath touching the knowledge of the Queen's supremacy shall be ministered to the person elected, as it is set out in the Order of Deacons. And then shall be ministered also the oath of due obedience unto the Archbishop, as followeth.

[1] 1550, *having upon him a Surplice and a Cope.* 1662, (*vested with his rochet*).

[2] 1550 (*being also in Surplices and Copes, and having their Pastoral Staves in their hands*).

[3] 1662, *the Archbishop sitting in his chair near the Holy Table.*

RITUS AD CONSECRANDUM ARCHIEPISCOPUM, AUT EPISCOPUM.

Ad Communionem.

Epistola.

Fidelis sermo:...in laqueum diaboli.

Evangelium.

Dicit Simoni Petro...Pasce oves meas.

Sive ex decimo capite Johannis sicut antea in ritu pro Presbyteris ordinandis.

Post Evangelium et Credo *primo Episcopum Electum*[1] *Archiepiscopo provinciae, aut alii Episcopo eius commissione munito*[2], *praesentent duo Episcopi*[3], *dicentes.*

Reverendissime in Deo pater, praesentamus tibi hunc pium doctumque virum, ut in Episcopum consecretur.

Deinde Archiepiscopus regium de consecratione praeceptum deposcat, et legendum curet. Et iuramentum de regia supremitate ab Electo exigatur, ut in ordinatione Diaconorum habetur. Postea iuramentum obedientiae Archiepiscopo debitae, prout sequitur exigatur.

[1] 1550, *Superpellicio et Capa indutum.* 1662, *rocheto indutum.*

[2] 1662, *in sede sua iuxta Sacram Mensam sedenti.*

[3] 1550, *Superpelliciis et capis induti, et bacula pastoralia in manibus tenentes.*

The Oath of due Obedience to the Archbishop.

In the name of God, Amen. I *N.* chosen Bishop of the Church and see of *N.* do profess and promise all due reverence and obedience to the Archbishop, and to the Metropolitical Church of *N.* and to their successors: so help me God through Jesus Christ.

Juramentum obedientiae Archiepiscopo debitae.

In Dei Nomine, Amen. Ego *N.* Ecclesiae et Sedis *N.* Episcopus electus, debitam reverentiam et obedientiam Archiepiscopo et Ecclesiae Metropoliticae *N.* et successoribus eorum, me per omnia exhibiturum profiteor et promitto. Sic me Deus adiuvet, per Jesum Christum.

This oath shall not be made at the consecration of an Archbishop.

Hoc iuramentum in Archiepiscopi consecratione non praestetur.

342. *Then the Archbishop shall move the congregation present to pray: saying thus unto them.*

Brethren, it is written in the Gospel of saint Luke, that our Saviour Christ continued the whole night in prayer, or ever that he did choose and send forth his .xii. Apostles. It is written also in the Acts of the Apostles, that the Disciples which were at Antioch did fast and pray, or ever they laid hands upon, or sent forth Paul and Barnabas. Let us therefore, following the example of our Saviour Christ and his Apostles, first fall to prayer, or that we admit and send forth this person presented unto us to the work whereunto we trust the Holy Ghost hath called him.

Deinde Archiepiscopus populum sic alloquens ad orandum exhortetur:

Fratres, Scriptum est in Evangelio secundum sanctum Lucam, quod Christus Salvator erat pernoctans in oratione, priusquam duodecim Apostolos suos eligeret et emitteret. Scriptum est etiam in Actibus Apostolorum, quod discipuli qui erant Antiochiae ieiünabant et orabant, priusquam Paulo et Barnabae manus imponerent, eosque emitterent. Nos igitur, Christi Salvatoris et Apostolorum exemplum sequentes, prius ad orationem nos conferamus, quam hunc virum nobis praesentatum assumamus, et ad opus illud emittamus, ad quod ipsum a Spiritu Sancto vocatum esse confidimus.

And then shall be said the Litany, as afore in the order of Deacons. And after this place: That it may please thee to illuminate all Bishops, etc. *he shall say.*

That it may please thee to bless this our brother elected, and to send thy grace upon him, that he may duly execute the office where-

Deinde dicatur Litania, sicut supra in Ordinatione Diaconorum. Post haec autem verba, Ut omnes Episcopos, etc., *dicatur,*

Ut hunc fratrem nostrum electum benedicere digneris, et super eum gratiam tuam mittere, ut munus ad quod vocatur rite sustineat;

unto he is called; to the edifying of thy Church, and to the honour, praise, and glory of thy name.

Answer. We beseech thee to hear us, good Lord.

Concluding the Litany in the end with this prayer.

Almighty God, giver of all good things, which by thy Holy Spirit hast appointed diverse orders of ministers in thy Church, mercifully behold this thy servant, now called to the work and ministry of a Bishop, and replenish him so with the truth of thy doctrine and innocency of life, that both by word and deed he may faithfully serve thee in this office, to the glory of thy name, and profit of thy congregation: Through the merits of our Saviour Jesu Christ: who liveth and reigneth with thee and the Holy Ghost, world without end. *Amen.*

343. *Then the Archbishop sitting in a chair, shall say this to him that is to be consecrated.*

Brother, forasmuch as holy scripture and the old Canons commandeth, that we should not be hasty in laying on hands, and admitting of any person to the government of the congregation of Christ, which he hath purchased with no less price than the effusion of his own blood: afore that I admit you to this administration whereunto ye are called, I will examine you in certain articles, to the end the congregation present may have a trial and bear witness, how ye be minded to behave your self in the church of God.

ad aedificationem Ecclesiae tuae, et ad honorem, laudem, et gloriam Nominis tui.

Resp. Te rogamus audi nos.

In fine Litaniae dicatur haec sequens Oratio.

Omnipotens Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum Sanctum tuum varios ministrorum ordines in Ecclesia tua constituisti: Respice propitius hunc famulum tuum, ad opus et ministerium Episcopale nunc vocatum: et eum doctrinae tuae veritate et vitae innocentia ita adimple, ut tam opere quam ore tibi in hoc officio fideliter deserviat ad gloriam tui Nominis, et ad commodum congregationis tuae; per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Deinde Archiepiscopus, in faldistorio sedens consecrandum alloquatur, dicens:

Frater, quoniam Sacra Scriptura et antiqui Canones praecipiunt, ne quem cito manuum impositione admittamus ad regendam congregationem Christi, quam non alio pretio nisi proprio sanguine effuso acquisivit: priusquam te ad hoc ministerium, ad quod vocaris, admittam, examinabo te in quibusdam articulis, ut probatione habita populus testari possit, qualiter velis in Ecclesia Dei conversari.

Are you persuaded that you be truly called to this ministration, according to the will of our Lord Jesus Christ, and the order of this realm?

Answer. I am so persuaded.

Persuasum est tibi, te ad hoc ministerium vere vocari, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et disciplinam in hoc regno constitutam?

Resp. Ita mihi persuasum est.

The Archbishop.

Are you persuaded that the holy scriptures contain sufficiently all doctrine, required of necessity for eternal salvation, through the faith in Jesu Christ? And are you determined, with the same holy scriptures, to instruct the people committed to your charge, and to teach or maintain nothing, as required of necessity to eternal salvation, but that you shall be persuaded may be concluded and proved by the same?

Answer. I am so persuaded and determined by God's grace.

Archiepiscopus.

Persuasum est tibi, in Scripturis sacris sufficienter contineri omnem doctrinam, ad aeternam per fidem in Jesu Christo salutem necessario suscipiendam? Et decrevisti ea quae ex eisdem sacris Scripturis intelligis, plebem tuae curae commissam docere, et nihil tradere, nihil affirmare, tanquam ad salutem aeternam necessarium, nisi de quo tibi persuasum fuerit per easdem concludi et probari posse?

Resp. Gratia Dei ita mihi persuasum est, et ita decrevi.

The Archbishop.

Will you then faithfully exercise your self in the said holy scriptures, and call upon God by prayer for the true understanding of the same, so as ye may be able by them to teach and exhort with wholesome doctrine, and to withstand and convince the gainsayer?

Answer. I will so do, by the help of God.

Archiepiscopus.

Vis igitur teipsum in eisdem sacris Scripturis fideliter exercere, et Deum exorare ut eas recte valeas intelligere: quatenus per eas potens sis docere et exhortari in doctrina sana, et eis qui contradicunt resistere eosque arguere?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

The Archbishop.

Be you ready with all faithful diligence to banish and drive away all erroneous and strange doctrine contrary to God's word, and both privately and openly to call upon and encourage other to the same?

Answer. I am ready, the Lord being my helper.

Archiepiscopus.

Paratus es amovere atque depellere, omni fidelitate et diligentia, omnem falsam et alienam doctrinam, verbo Dei contrariam; et alios ad id faciendum tam privatim quam publice adhortari et incitare?

Resp. Ad hoc, adiuvante Domino, paratus sum.

The Archbishop.

Will you deny all ungodliness and worldly lusts, and live soberly, righteously, and Godly in this world, that you may shew your self in all things an example of good works unto other, that the adversary may be ashamed, having nothing to lay against you?

Answer. I will so do, the Lord being my helper.

The Archbishop.

Will you maintain and set forward (as much as shall lie in you) quietness, peace and love, among all men; and such as be unquiet, disobedient and criminous within your diocese, correct and punish according to such authority as ye have by God's word, and as to you shall be committed by the ordinance of this realm?

Answer. I will so do, by the help of God [1].

The Archbishop.

Will you shew your self gentle, and be merciful for Christ's sake to poor and needy people, and to all strangers destitute of help?

Answer. I will so shew my self by God's help.

The Archbishop.

Almighty God our heavenly Father, who hath given you a good will to do all these things, grant also unto you strength and power to perform the same: that he ac-

Archiepiscopus.

Vis abnegare omnem impietatem et saecularia desideria, et sobrie, iuste, et pie vivere in hoc saeculo; quatenus in omnibus teipsum aliis praebeas exemplum bonorum operum, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de te?

Resp. Volo hoc facere, adiuvante Domino.

Archiepiscopus.

Vis, quantum ex te erit, inter omnes tranquillitatem, caritatem, atque pacem conservare et promovere; et eos qui intra Dioecesim tuam seditiose, contumaciter, et nefarie se gesserint, ea potestate corrigere et punire, quam ex Dei verbo habes, quaeque per huius regni leges tibi committetur?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio [1].

Archiepiscopus.

Vis pauperibus et indigentibus et omnibus peregrinis auxilio destitutis, te propter Christum affabilem et misericordem praestare?

Resp. Volo ita me praestare, cum Dei auxilio.

Archiepiscopus.

Omnipotens Deus, Pater noster caelestis, de cuius munere venit ut haec omnia facere velis, virtutem etiam ad ea exsequenda tibi concedat: ut, ipso in te bonum opus

[1] 1662, *The Archbishop.*

Will you be faithful in ordaining, sending, or laying hands upon others?

Answer. I will do so by the help of God.

[1] 1662, *Archiepiscopus.*

Vis fidelis esse in ordinando et mittendo alios, eisque manus imponendo?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

complishing in you the good work which he hath begun, ye may be found perfect and irreprehensible at the latter day, through Jesu Christ our Lord. *Amen.*

344. *Then shall be sung or said. Come Holy Ghost, etc. as it is set out in the order of Priests*[1].

That ended, the Archbishop shall say.

Lord hear our prayer.

Answer. And let our cry come unto thee.

Let us pray.

Almighty God, and most merciful Father, which of thy infinite goodness hast given to us thy only and most dear beloved Son Jesus Christ, to be our redeemer and author of everlasting life: who, after that he had made perfect our redemption by his death, and was ascended into heaven, poured down his gifts abundantly upon men, making some Apostles, some Prophets, some Evangelists, some Pastors, and Doctors, to the edifying and making perfect of his congregation: grant, we beseech thee, to this thy servant such grace, that he may evermore be ready to spread abroad thy Gospel and glad tidings of reconcilement to God, and to use the authority given unto him, not to destroy, but to save; not to

quod coepit perficiente, in novissimo die perfectus et irreprehensibilis inveniaris, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde cantetur aut dicatur Veni Creator, etc., *sicut in ordinatione Presbyterorum exhibetur*[1].

Quo finito, dicat Archiepiscopus,

Domine, exaudi orationem nostram.

Resp. Et clamor noster ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens Deus, Pater misericors, qui ex infinita bonitate tua dedisti unicum et dilectissimum Filium tuum Jesum Christum, ut sit Redemptor noster, et auctor vitae sempiternae: qui post redemptionem nostram morte sua perfectam, et ascensionem suam in coelos, dona sua super homines abundanter effudit, faciens quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad aedificationem et consummationem congregationis suae: Da, quaesumus, eam gratiam huic famulo tuo, qua semper paratus sit ad evangelizandum bona tua, ad praedicandum reconciliationem: et potestate quam tribuis non in destructionem, sed in salutem, non ad

[1] 1662, *Then shall the Bishop elect put on the rest of the Episcopal habit; and kneeling down,* Veni Creator Spiritus, *shall be sung or said over him, the Archbishop beginning, and the Bishops, with others that are present, answering by verses, as followeth.*

[1] 1662, *Deinde assumat Episcopus electus cetera vestimenta Episcopalia; et super eum genuflexum cantetur aut dicatur* Veni Creator Spiritus: *incipiente Archiepiscopo, Episcopis autem, aliisque qui adsunt, per alternos versus respondentibus, prout sequitur.*

hurt, but to help: so that he as a wise and faithful servant, giving to thy family meat in due season, may at the last day be received into joy, through Jesu Christ our Lord: who with thee, and the Holy Ghost, liveth and reigneth one God, world without end. *Amen.*

iniuriam, sed ad auxilium utatur: quatenus, ut fidelis servus et prudens, familiae tuae dans cibum in tempore opportuno, in gaudium tandem suscipiatur; per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

345. *Then the Archbishop and Bishops present shall lay their hands upon the head of the elected Bishop, the Archbishop saying.*

Tunc Archiepiscopus et Episcopi qui adsunt super caput Electi manus imponant, dicente Archiepiscopo.

Take the Holy Ghost, and remember that thou stir up the grace of God, which is in thee by imposition of hands: for God hath not given us the spirit of fear, but of power, and love, and soberness[1].

Accipe Spiritum Sanctum, et memento ut resuscites gratiam Dei, quae in te est per impositionem manuum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis[1].

Then the Archbishop shall deliver him the Bible, saying[2].

Deinde tradat Archiepiscopus ei Biblia, dicens[2].

Give heed unto reading, exhortation and doctrine. Think upon these things contained in this book: be diligent in them, that the increase coming thereby may be manifest unto all men. Take heed unto thy self, and unto teaching, and be diligent in doing them: for by doing this thou shalt save thy

Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae. Meditare ea quae in hoc libro continentur: in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, et doctrinae: insta in illis: hoc enim faciens, et teipsum salvum facies

[1] 1662, Receive the Holy Ghost, for the Office and Work of a Bishop in the Church of God, now committed unto thee by the Imposition of our hands; In the Name of the Father, and of the Son, and of the Holy Ghost. Amen. And remember that thou stir up the grace of God which is given thee by this Imposition of our hands: for God hath not given us the spirit of fear, but of power, and love, and soberness.

[2] 1550, *Then the Archbishop shall lay the Bible upon his neck, saying.*

[1] 1662, Accipe Spiritum Sanctum in Officium et Opus Episcopi in Ecclesia Dei, per Impositionem manuum nostrarum iam tibi commissum: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Et memento ut resuscites gratiam Dei, quae tibi datur per hanc Impositionem manuum nostrarum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

[2] 1550, *Deinde Archiepiscopus Biblia super cervicem eius ponat, dicens.*

self, and them that hear thee[1]. Be to the flock of Christ a shepherd, not a wolf: feed them, devour them not: hold up the weak, heal the sick, bind together the broken, bring again the outcasts, seek the lost. Be so merciful, that you be not too remiss: so minister discipline, that you forget not mercy: that when the chief Shepherd shall come, ye may receive the immarcescible crown of glory, through Jesus Christ our Lord. *Amen.*

et eos qui te audiunt[1]. Esto gregi Christi pastor, non lupus: pasce eum, noli devorare. Quod infirmum est consolida, quod aegrotum sana, quod confractum alliga, quod abiectum est reduc, quod periit require. Ita misericors sis, ut non sis remissior: ita disciplinam exhibeas, ut misericordiae non obliviscaris: quatenus, cum venerit Princeps pastorum, percipias immarcescibilem gloriae coronam; per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

346. *Then the Archbishop shall proceed to the communion, with whom the new consecrated Bishop with other shall also communicate. And the last Collect, immediately before the benediction, shall be said this prayer.*

Deinde Archiepiscopus ad Communionem pergat, cum quo Episcopus iam consecratus una cum aliis communicare debet. Et pro ultima Oratione, immediate ante benedictionem haec dicatur.

Most merciful Father, we beseech thee to send down upon this thy servant thy heavenly blessing, and so endue him with thy Holy Spirit, that he, preaching thy word, may not only be earnest to reprove, beseech, and rebuke with all patience and doctrine, but also may be to such as believe an wholesome example, in word, in conversation, in love, in faith, in chastity, and purity: that faithfully fulfilling his course, at the latter day he may receive the crown of righteousness, laid up by the Lord the righteous judge: who liveth and reigneth, one God with the Father and the Holy Ghost, world without end. *Amen.*

Super hunc famulum tuum, quaesumus, Pater misericors, coelestem tuum effunde benedictionem; et eum Sancto Spiritu tuo ita adorna, ut verbum tuum praedicans, non solum studeat arguere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina, sed exemplum sit salutare fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, et in puritate; quatenus cursum suum fideliter consummans, accipiat in die novissimo coronam iustitiae, a Domino iusto iudice repositam: qui cum Patre vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

[1] 1550, through Jesus Christ our Lord. *Then shall the Archbishop put into his hand the Pastoral Staff, saying:* Be to the flock &c.

[1] 1550, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Deinde Archiepiscopus ei in manum tradat Baculum Pastorale, dicens:* Esto gregi &c.

APPENDIX VI.

DE ORDINATIONIBUS ABYSSINORUM.

347. Estcourt in opere suo, *The question of Anglican ordinations discussed*, primus omnium quaestionem de ordinationibus Abyssinorum movit. De hac re Vicarium Apostolicum Abyssiniae L. P. J. Bel, consuluit, a quo comperit;

1°. Ritum sacrorum ordinum conferendorum inter Monophysitas in Abyssinia iuxta libros rituales non fuisse pure Copticum, sed e ritibus Copticis et Graecis non sine corruptione derivatum esse (p. 188);

2°. Hunc ritum in praxi paene abolitum esse, neque alio modo presbyteros ordinari quam per impositionem manuum cum his verbis dumtaxat, *Accipe Spiritum Sanctum*, quae in libris non inveniuntur, neque unde in usum venerint certo apparet (p. 190).

348. Litteras Vicarii Apostolici, quibus huic consulenti respondit, in Appendice operis citati xxxv[a] ita habentur.

Ludovicus Petrus Joannes Bel, Episcopus Agathopolitanus et Vicarius Apostolicus Abyssiniae Reverendo Domino Edgari Edmundo Estcourt, Sacerdoti ac Canonico Dioecesis Birminghamiensis in Anglia, Salutem et Benedictionem in Christo Jesu Domino nostro.

Magnam animi iucunditatem attulit nobis Littera tua mensis Junii, a qua audivimus tua studia ac tuum zelum pro gloria Dei atque Ecclesiae: tuas quaestiones quas accepimus tantum die decima quarta huius mensis, maximi momenti invenimus pro Ecclesia et fide Catholica per omnes regiones Britannicas: quapropter statim ad quaesita respondere cupientes, exemplum Ritus cum versione Latina, sicut, deficiente nobis Ecclesiae Aethiopicae Pontificali, in aliis libris legitur, sine mora tibi mandamus. Tua Reverentia non ignorat apud Monophysitas in Abyssinia, in sacris Ordinibus conferendis, theoriam a praxi longe dissimilem esse, praesertim in nostris temporibus, sicut patet ex dubiis S. C. Inquisitionis in anno 1704, atque iterum in anno 1860 submissis: hodierna praxis lacrimabilis est: theoria, sicut mortua littera, in antiquioribus libris invenitur. Nos autem sive pro baptismo neophytorum, sive pro Ordine iterandis, cum omni obedientia, S. C. de Propaganda Fide, recentiores regulas et decisiones nostris Praedecessoribus traditas sequimur et semper observabimus.

Ex domo nostra insulae Massouah die 24 Novembris 1867.

✠ L. P. Bel.

349. Decretum S. C. S. O., quod in his litteris refertur, idem auctor in Appendice xxxiv[a] sui operis prodit his verbis :—

Nell' anno 1860 due preti monofisiti dimandarono d' abjurare i loro errori ed essere ricevuti nella Chiesa. Questa istanza diede occasione a far delle ricerche sul modo prattico di cui si servono i Monofisiti nella collazione dei Sacramenti. E tra gli altri sorsero dubbi assai gravi sulla validità delle loro ordinazioni. Il fondamento di tali dubbi è il seguente : Due disordini hanno luogo nel conferir che essi fanno gli ordini sagri. Il primo è che spesso ordinano de' suggetti riluttanti a questo, sicchè la loro promozione è violenta ; l' altro che l' ordinante non impone le mani sull' ordinando, ma solamente una croce d' argento cui egli tiene pel manico o asta inferiore. Più i Monofisiti credono l' essenza dell' ordinaz. consista nell' insuflazione che fa l' ordinante nell' atto che dice : 'Accipe Spiritum S.' Perciò volendo degradare alcuno ritirano da lui l' insuflaz. sebbene di questa insufl. non si faccia menzione nel rituale. Dietro queste riflessioni il Vic. Apostolico pei Copti proponeva circa l' ordinaz. de' Monofisiti i segg. dubbi, sotto i numeri 2, 3, 4, 5.

2. La collaz. degli ordini sacri de' Monofisiti esposta sopra è assolutamente nulla, sia per la collazione forzata, sia pel defetto dell' imposizione delle mani, oppure è assolutamente dubbia ?

3. Deve perciò reitirarsi sotto condizione o assolutamente ?

4. Gli ordinati in sacris nella guisa suddetta, possono perciò prendere moglie, e restar laici, oppure ciò non lice ?

5. Che cosa si deve far per riguardo a' quei preti che ordinati dai Monofisiti nella guisa suddetta hanno sostenuto l' ufficio di parrochi per molti anni dopo l' abjura senza essere riordinati, ne assolutamente, ne sotto condizione ?

A questi dubbi la S. C. del S. O. rispose il 9 Maggio 1860 nella maniera che segue.

Ad 2[um]. Quoad primam partem huius postulati, iuxta ea quae tradit Inn. III. C. maioris, ille qui nunquam consentit, sed etiam in actu ordinationis penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti. Habenda tamen erit ratio in casibus particularibus. Quod vero spectat ad 2[dam] partem eiusdem postulati, iuxta exposita ordinationem esse invalidam, et detur responsio huius S. C. Supremae Inquisitionis fer. iv. 9 Ap. 1704.

Ad 3[ium]. Provisum in 2[ndo] et quatenus ordinatio repeti debeat, fiat secretissime.

Ad 4[um]. Quatenus legitime constat de invaliditate ordinationis, a quovis clericali onere soluti censeantur. Si vero ordinationes fuerint dubiae, recurret in casibus particularibus.

Ad 5[um]. Circa valorem ordinationis cuiuscumque ex hisce parochis iam provisum in praecedentibus : parochianos vero eorum curae concreditos non esse inquietandos et relinquendos esse in bona fide.

Risoluzione della S. C. del S. O. data feria iv. 9 Ap. 1704, ed accennata nella risoluz. data a Mons. Vic. Apostolico de' Copti nella feria iv. 9 Maggio 1860.

Nell' Etiopica essendo necessità che gli ordinandi si portino da parte anche remote alla Città nella quale risiede l' Arciv. scismatico per essere ordinati, e questi non facendo l' ordinazione, se non quando si sono congregati otto o dieci mila ordinandi nella città suddetta di sua risidenza, perciò gli avviene tal volta

ordinare tre o quattro o più mila al giorno. Facendosi schierare nella chiesa gli ordinandi al sacerdozio, nel passare avanti di loro frettolosamente, impone à ciascuno le mani sul capo dicendo: 'Accipe Sp. S.' e agli ordinandi al diaconato impone simplicemente la croce patriarcale sul capo dei medesimi, e perchè per la gran moltitudine e confusione, e per la fretta nel caminare, succede che l' Arciv. ad alcuni non impone le mani, ed ad altri non proferisce le parole della forma, e non pochi ancora sono passati senza l' una e l' altra; e perciò si cerca se i sacerdoti e diaconi in tal modo e forma ordinati siano validamente ordinati, e conseguentemente se uno di questi sacerdoti fatto cattolico possa e debba essere ammesso all' esercizio de' suoi ordini, e come in queste circostanze debba regolarsi il Missionario.

Resolutio.

Ordinatio presbyteri cum manuum impositione et formae prolatione, prout in dubio, est valida, sed diaconi ordinatio cum simplici crucis patriarch. impositione omnino invalida est. Quo vero ad praxim admittendi presbyteros et diaconos ad exercitium suorum ordinum praeterquam[1] catholicam fidem susceperunt sequentia observanda sunt.

Si sacerdos absolute dicat se ordinatum esse cum manuum impositione, ac verborum prolatione, et nihil aliud obstet, poterit mission., postquam cum illo super irregularitate dispensaverit, eumque ab excommunicatione absolverit, eum ad exercitium suorum ordinum admittere, iuxta ritum adprobatum et expurgatum in quo fuit ordinatus.

Si vero is sacerdos ingenue fateatur se non recordari de materia et forma suae ordinationis vel de una aut altera dubitare, non potest admitti ad exercitium suorum ordinum, donec sub conditione fuerit ordinatus. Tandem si absolute asserat, vel manuum impositionem vel formae prolationem sive utramque omissam fuisse, reordinandus est absolute antequam ad exercitium suorum ordinum admittatur.

Quia vero quilibet Sacerdos, etsi valide ad sacerdotium, fuit invalide ad diaconatum promotus, idcirco ut possit suos ordines exercere, debet, si SS^{mo} placuerit facultatem missionariis impertiri, cum illo tanquam per saltum ordinato ac etiam suspenso propter subsequens sacrorum ordinum exercitium super irregularitate dispensari, donec et quousque per Episc. Catholicum ad diaconatus ordinem valide promoveatur.

Si aggiunse poi nella risoluzione del 9 Maggio 1860.

Dovrà darsi una dichiarazione instruttiva della riposta data al 5° postulato, in cui è detto non doveasi inquietar, e potersi lasciare in buona fede coloro che hanno ricevuti i Sacramenti dai parrochi la cui ordinaz. presbiterale sia dubbia o certamente invalida. In tale istruzione dovrà avvertirsi quel Vicario che se i fedeli da cui trattasi sono in buona fede sulla mancanza di podestà dei loro parrochi, debbono lasciarsi nella loro buona fede anche in ordine alle confessioni sacramentali ed all' assoluzione che hanno ricevuta da essi, giacchè l' ignoranza invincibile circa il defetto di podestà nel confessare suppone che siansi avvicinati

[1] Forse deve leggersi, in vice di 'praeterquam' 'postquam.' (Nota del Minutante.)

alla S. Comunione senza la coscienza del peccato mortale, e che abbiano integrato moralmente le loro confessioni anteriori colle posteriori che avran fatte presso qualche vero sacerdote approvato. Che se poi questi fideli non fossero in buona fede sarà somma cura del Vic. Apostolico d' indurli con ogni cautela a ripeter le loro confessioni nulle. In oltre dovrà significarglisi che la Santità di N. S. si è degnato provedere col tesoro della Chiesa agli oblighi di Messi non soddisfatti da tali parrochi per non essere veri sacerdoti. Che pero il S. Padre ingiunge loro l' obligo tosto che saranno validamente ordinati di celebrare almeno una messa in compenso delle tante che avranno invalidamente applicato.

(Firmato) R. PADRE MONACO LAVALETTE, Assessore del S. O.

350. Porro Gasparri in *Tract. Can. de Sacr. Ord.* n. 1057 eandem resolutionem S. O. (variatis quibusdam vocabulis, et post verba *super irregularitate dispensari* additis *et ab officio cessare quousque &c.* quae cum contextu grammatice cohaerere nequeunt) e Philippo de Carboneano translatam habet, sed die *decimo* Aprilis 1704 datam asserit.

351. Idem (n. 1058) citat litteras a Card. Patrizi secretario S. C. S. O. die 30 Apr. 1875 datas, quas hic subiungimus:

"Litteris diei 24 *Aug.* anni nuper elapsi referebat Eminentia vestra quaestionem istic exortam inter aliquos scriptores circa sensum cuiusdam, ut appellat, *decreti*, ab hac suprema C. U. Inquis. die 10 *Apr. anni* 1704 editi, quod valorem respicit ordinationis in quodam casu Abyssinorum expletae per verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, manuum impositioni coniuncta, ex eoque Anglicanos praesumere ac iactitare nullum iam posse a catholicis moveri dubium de eorum ordinum validitate. Proinde ad anxietates eliminandas veritatemque securius defendendam quaerebat Eminentia vestra sequentis dubii declarationem; scilicet an in supra asserto decreto explicite vel implicite contineatur doctrina ad validitatem ordinis presbyteratus sufficere impositionem manuum cum iis dumtaxat verbis: *Accipe Spiritum Sanctum.*

Jam vero Emi PP. Cardinales una mecum Inquisitores Generales, articulo formaliter ac mature discusso *in feria iv die* 21 labentis mensis, rogationi eiusmodi respondendum duxerunt: *Negative.* Atque ad huius decreti iustitiam protuendam pauca ex mente Sacri Ordinis Eminentiae Vestrae innuisse sufficiat: scilicet ex ipso Coptorum ritu, ut in eorum libris pontificalibus habetur, manifestum esse illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, non integram formam constituere, nec sensum documenti quod ex *anno* 1704 profertur, quodque non est decretum S. C. uti ex eius tabulario patet, alio modo intelligendum esse, nisi quod penes Coptos ordinatio presbyteri cum impositione manuum episcopi et prolatione formae in antiquo eorum ritu praescriptae valida sit habenda; nunquam vero Sanctam Supremam Congregationem sive explicite sive implicite declarasse ad validitatem ordinis presbyteratus sufficere manuum impositionem cum iis dumtaxat verbis: *Accipe Spiritum Sanctum.*"

352. Ad hanc epistolam nos haec tantum annotamus:—

1°. Error quidam in dubio proponendo irrepsisse videtur, cum Estcourt decretum die *nono* Aprilis datum citet, hic autem decreti die

decimo Aprilis dati interpretatio requiratur; neque apparet utrum in tabulario S. C. Inquis. explorando ratio huius erroris habita fuerit.

2°. Nihil quaesitum fuisse videtur de responso S. C. S. O., die 9ª Maii 1860 dato, in quo allegatur "*responsio huius S. C. Supremae Inquisitionis fer. iv.* 9 *Ap.* 1704."

3°. Ex relatione Vicarii Apostolici, quem Estcourt consuluit, constat ritum Copticum inter Abyssinos non esse adhibitum.

4°. Nemo ex nostratibus voluit ut ordinatio per sola verba *Accipe Spiritum Sanctum* effecta pro valida habeatur. Id unum nobis argumento est, ut in praxi S. E. R., his resolutionibus declarata, (*a*) ordinatio iuxta ritum ex particulari episcoporum Abyssinorum auctoritate mutatum (ne dicamus mutilatum) effecta pro valida haberi possit, et (*b*) forma huiusmodi, quae sola ex optimorum testimonio adhiberi videatur, non nisi per generaliorem ritus intentionem determinata pro adaequata accipiatur.

APPENDIX VII.

INSTRUMENTA AD POLI LEGATIONEM PERTINENTIA.

I.

Breve de Facultatibus Legatinis.

(Wilkins, vol. iv. p. 91; *cf.* Burnet, *ed.* Pocock, vol. vi. p. 322.)

JULIUS papa III.—Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum cum charissima in Christo filia nostra Maria, Angliae tunc princeps, regina declarata fuisset, et speraretur regnum Angliae, quod saeva tyrannide ab unione sanctae ecclesiae catholicae separatum fuerat, ad ovile gregis Domini, et eiusdem ecclesiae unionem, ipsa Maria primum regnante, redire posse: Nos te praestanti virtute, singulari pietate, ac multa doctrina insignem, ad eandem Mariam reginam, et universum Angliae regnum, de fratrum nostrorum consilio et unanimi consensu, nostrum et apostolicae sedis legatum de latere destinavimus; tibique inter caetera, omnes et singulos utriusque sexus, tam laicas quam ecclesiasticas, seculares, et quorumvis ordinum regulares personas, in quibusvis etiam sacris ordinibus constitutas, cuiuscunque status, gradus, conditionis et qualitatis extiterint; ac quacunque ecclesiastica etiam episcopali, archiepiscopali, et patriarchali, aut mundana, etiam marchionali, ducali, aut regia dignitate praefulgerent, etiamsi capitulum, collegium, universitas, seu communitas forent, quarumcunque haeresium aut novarum sectarum professores, aut in eis culpabiles vel suspectas, ac credentes, receptatores et fautores eorum, etiamsi relapsae fuissent, eorum errorem cognoscentes et de illis dolentes, ac ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes, cognita in eis vera et non ficta aut simulata poenitentia, ab omnibus et singulis per eos perpetratis (haereses et ab eadem fide apostasias, blasphemias, et alios quoscunque errores etiam sub generali sermone non venientes sapientibus) peccatis, criminibus, excessibus et delictis, necnon excommunicationum, suspensionum, interdictorum, et

aliis ecclesiasticis ac temporalibus, etiam corporis afflictivis, et capitalibus sententiis, censuris et poenis in eos, praemissorum occasione, a iure vel ab homine latis vel promulgatis, etiamsi in eis viginti et plus annis insorduissent, et eorum absolutio nobis et apostolicae sedi, et per literas in die coenae Domini legi consuetas reservata existeret, in utroque conscientiae videlicet et contentioso foro, plenarie absolvendi et liberandi, ac aliorum Christifidelium consortio aggregandi: necnon cum eis super irregularitate per eos praemissorum occasione, etiam quia sic ligati missas et alia divina officia, etiam contra ritus et ceremonias ab ecclesia eatenus probatas et usitatas celebrassent, aut illis alias se miscuissent, contracta; necnon bigamia per eosdem ecclesiasticos, seculares vel regulares, vere aut ficte, seu alias qualitercunque incursa (etiamsi ex eo quod clerici in sacris constituti cum viduis vel aliis corruptis matrimonium contraxissent praetenderetur), reiectis et expulsis tamen prius uxoribus sic de facto copulatis: quodque bigamia et irregularitate, ac aliis praemissis non obstantibus, in eorum ordinibus, dummodo ante eorum lapsum in haeresin huiusmodi rite et legitime promoti vel ordinati fuissent, etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecunque et qualitercunque etiam curata beneficia secularia vel regularia, ut prius, dummodo super eis alteri ius quaesitum non existeret, retinere; et non promoti ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines ab eorum ordinariis, si digni et idonei reperti fuissent, promoveri, ac beneficia ecclesiastica, si eis alias canonice conferrentur, recipere et retinere valerent, dispensandi et indulgendi; ac omnem infamiae et inhabilitatis maculam sive notam, ex praemissis quomodolibet insurgentem, penitus et omnino abolendi, necnon ad pristinos honores, dignitates, famam, et patriam, et bona etiam confiscata, in pristinumque, et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restituendi, reponendi, et redintegrandi; ac eis, dummodo corde contriti eorum errata et excessus alicui per eos eligendo catholico confessori sacramentaliter confiterentur, ac poenitentiam salutarem eis per ipsum confessorem propterea iniungendam omnino adimplerent, omnem publicam confessionem, abiurationem, renunciationem, et poenitentiam iure debitam, arbitrio tuo moderandi vel in totum remittendi :

Necnon communitates et universitates, ac singulares personas quascunque, a quibusvis illicitis pactionibus et conventionibus per eos cum dominis aberrantibus, seu in eorum favorem quomodolibet initis, et ei praestitis iuramentis et homagiis, illorumque omnium observatione, et si quem eatenus occasione eorum incurrissent periurii reatum, etiam absolvendi et iuramenta ipsa relaxandi. Ac quoscunque regulares et religiosos, etiam in haeresin huiusmodi, ut praefertur, lapsos, extra eorum regularia loca absque dictae sedis licentia vagantes, ab apostasiae reatu et excommunicationis, aliisque censuris ac poenis ecclesiasticis, per eos propterea etiam iuxta suorum ordinum instituta incursis, pariter absolvendi: ac cum eis ut alicui beneficio ecclesiastico curato de illud obtinentis consensu, etiam in habitu clerici secularis, habitum suum

regularem sub honesta toga presbyteri secularis deferendo, deservire, et extra eadem regularia loca remanere libere et licite possint, dispensandi :

Necnon quibusvis personis, etiam ecclesiasticis, ut quadragesimalibus et aliis anni temporibus et diebus, quibus usus ovorum et carnium est de iure prohibitus, butyro, et caseo, et aliis lacticiniis, ac dictis ovis et carnibus, de utriusque seu alterius spiritualis, qui catholicus existeret, medici consilio, aut si locorum et personarum qualitate inspecta ex defectu piscium aut olei, vel indispositione personarum earundem, seu alia causa legitima, id tibi faciendum videretur, ut tuo arbitrio uti et vesci possint, indulgendi et concedendi :

Necnon per te in praeteritis duntaxat casibus, aliquos clericos seculares, tantum presbyteros, diaconos, aut subdiaconos, qui matrimonium cum aliquibus virginibus, vel corruptis secularibus, etiam mulieribus, de facto eatenus contraxissent, considerata aliqua ipsorum singulari qualitate, et cognita eorum vera ad Christi fidem conversione, ac aliis circumstantiis ac modificationibus tuo tantum arbitrio adhibendis, ex quibus aliis praesertim clericis in sacris ordinibus huiusmodi constitutis, quibus non licet uxores habere, scandalum omnino non generetur; citra tamen altaris ac alia sacerdotum ministeria, et titulos beneficiorum ecclesiasticorum, ac omni ipsorum ordinum exercitio sublato, ab excommunicationis sententia, et aliis reatibus propterea incursis, iniuncta inde eis etiam tuo arbitrio poenitentia salutari, absolvendi, ac cum eis, dummodo alter eorum superstes remaneret, de caetero sine spe coniugii, quod inter se matrimonium legitime contrahere, et in eo, postquam contractum foret, licite remanere possent, prolem exinde legitimam decernendo, misericorditer dispensandi: ac quaecumque beneficia ecclesiastica, tam secularia quam regularia, et quae per rectores catholicos possidebantur, de ipsorum tamen rectorum catholicorum consensu, seu absque eorum praeiudicio, cuicunque alteri beneficio ecclesiastico ob eius fructus tenuitatem, aut hospitali iam erecto vel erigendo, seu studio universali, vel scholis literariis, uniendi, annectendi, et incorporandi, aut fructus, reditus, et proventus, seu bonorum beneficiorum dividendi, separandi et dismembrandi, ac eorum sic divisorum, separatorum, et dismembratorum partem aliis beneficiis seu hospitalibus, vel studiis aut scholis, seu piis usibus similiter arbitrio tuo perpetuo applicandi et appropriandi : ac cum possessoribus bonorum ecclesiasticorum (restitutis prius, si tibi expedire videretur, immobilibus per eos indebite detentis) super fructibus male perceptis, ac bonis mobilibus consumptis, concordandi et transigendi, ac eos desuper liberandi et quietandi: ac quicquid concordiis et transactionibus huiusmodi proveniret in ecclesiae cuius essent bona, vel in studiorum universalium aut scholarum huiusmodi, seu alios pios usus, convertendi, omniaque et singula alia, quae in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna esse cognosceres, faciendi, dicendi, gerendi et exercendi:

Necnon catholicos locorum ordinarios, aut alias personas Deum timentes, fide insignes, et literarum scientia praeditas, ac gravitate

morum conspicuas, et aetate veneranda, de quarum probitate et circumspectione ac charitatis zelo plena fiducia conspici posset, ad praemissa omnia, cum simili vel limitata potestate (absolutione et dispensatione clericorum circa connubia, ac unione beneficiorum, seu eorum fructuum et bonorum separatione et applicatione, ac concordia cum possessoribus bonorum ecclesiasticorum et eorum liberatorum, duntaxat exceptis) substituendi et subdelegandi: ac diversas alias facultates per diversas alias nostras tam sub plumbo quam in formą brevis confectas literas, concessimus, prout in illis plenius continetur.

Verum cum tu ad partes Flandriae, ex quibus brevissima ad regnum transfretatio existit, te contuleris, ac ex certis rationibus nobis notis inibi aliquamdiu subsistere habeas, ac a nonnullis nimium forsan scrupulosis, haesitetur, an tu in partibus huiusmodi subsistens, praedictis ac aliis tibi concessis facultatibus uti, ac in eodem regno locorum ordinarios aut alias personas, ut praemittitur, qualificatas, quae facultatibus per te iuxta dictarum literarum continentiam pro tempore concessis utantur, alias iuxta earundem literarum tenorem substituere et delegare possis: Nos causam tuae subsistentiae in eisdem partibus approbantes, et singularum literarum praedictarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, circumspectioni tuae quod quamdiu in eisdem partibus de licentia nostra moram traxeris, legatione tua praedicta durante, etiam extra ipsum regnum existens, omnibus et singulis praedictis et quibusvis aliis tibi concessis, et quae per praesentes tibi conceduntur, facultatibus, etiam erga quoscunque archiepiscopos, episcopos, ac abbates, aliosque ecclesiarum tam secularium quam quorumvis ordinum regularium, necnon monasteriorum et aliorum regularium locorum praelatos, non secus ac erga alios inferiores clericos, uti possis; necnon erga alias personas in singulis literis praedictis quovismodo nominatas, ad te pro tempore recurrentes vel mittentes, etiam circa ordines quos nunquam aut male susceperunt, et munus consecrationis quod eis ab aliis episcopis vel archiepiscopis etiam haereticis et schismaticis, aut alias minus rite et non servata forma ecclesiae consueta, impensum fuit, etiamsi ordines et munus huiusmodi etiam circa altaris ministerium temere executi sint, per te ipsum vel alios, ad id a te pro tempore deputatos, libere uti; ac in eodem regno tot quot tibi videbuntur locorum ordinarios, vel alias personas, ut praemittitur, qualificatas, quae facultatibus per te eis pro tempore concessis (citra tamen eas quae solum tibi, ut praefertur, concessae existunt), etiam te in partibus Flandriae huiusmodi subsistente, libere utantur, et eas exerceant et exequantur, alias iuxta ipsarum literarum continentiam ac tenorem substituere et subdelegare:

Necnon de personis quorumcunque episcoporum vel archiepiscoporum, qui metropolitanam aut alias cathedrales ecclesias de manu laicorum etiam schismaticorum, et praesertim qui de Henrici regis et Edwardi eius nati receperunt, et eorum regimini et administrationi se ingesserunt, et

eorum fructus, reditus et proventus etiam longissimo tempore tanquam veri archiepiscopi aut episcopi temere et de facto usurpando, etiamsi in haeresin, ut praefertur, inciderint, seu antea haeretici fuerint, postquam per te unitati Sanctae Matris Ecclesiae restituti extiterint, tuque eos rehabilitandos esse censueris, si tibi alias digni et idonei videbuntur, eisdem metropolitanis et aliis cathedralibus ecclesiis denuo, necnon quibusvis aliis cathedralibus etiam metropolitanis ecclesiis per obitum vel privationem illarum praesulum, seu alias quovismodo pro tempore vacantibus, de personis idoneis, pro quibus ipsa Maria regina iuxta consuetudines ipsius regni tibi supplicaverit, auctoritate nostra providere, ipsasque personas eisdem ecclesiis in episcopos aut archiepiscopos praeficere: ac cum eis qui ecclesias cathedrales et metropolitanas de manu laicorum etiam schismaticorum, ut praefertur, receperunt, quod eisdem seu aliis, ad quas eas alias rite transferri contigerit, cathedralibus etiam metropolitanis ecclesiis, in episcopos vel archiepiscopos praeesse, ipsasque ecclesias in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis eis hactenus impenso uti; vel si illud eis nondum impensum extiterit, ab episcopis vel archiepiscopis catholicis per te nominandis suscipere libere et licite possint: necnon cum quibusvis per te, ut praemittitur, pro tempore absolutis et rehabilitatis, ut eorum erroribus et excessibus praeteritis non obstantibus quibusvis cathedralibus etiam metropolitanis ecclesiis in episcopos et archiepiscopos praefici et praeesse, illasque in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac ad quoscunque etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, et in illis aut per eos iam licet minus rite susceptis ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, necnon munus consecrationis suscipere, et illo uti libere et licite valeant, dispensare etiam libere et licite possis, plenam et liberam apostolicam auctoritatem per praesentes concedimus facultatem et potestatem: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quae in singulis literis praeteritis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 8 Martii 1554, pontificatus nostri anno 5.

II.

Dispensatio Generalis.

(E Statuto 1 et 2 Philippi et Mariae, c. 8. Gibson, *Codex*, p. 41.)

Reginaldus miseratione divina Sanctae *Mariae* in *Cosmodin*, sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus, Cardinalis *Polus* nuncupatus, ad Serenissimos *Philippum* & *Mariam*, Angliae Reges, fidei defensores, & universum Angliae regnum, sanctissimi Domini nostri Papae, & sedis

Apostolicae de latere legatus, eisdem Serenissimis *Philippo* & *Mariae* Regibus salutem in Domino sempiternam. Cum supremum Concilium istius Regni, Parliamentum nuncupatum, *Maiestatibus vestris* per suos supplices libellos exposuisset, quod perniciocissimo schismate in hoc regno alias vigente, quod nunc Dei misericordia, & *Maiestatum vestrarum* pietate extinctum est authoritate ipsius Parliamenti, nonnulli Episcopatus divisi, & ex his aliquae inferiores Ecclesiae in Cathedrales erectae, & scholae atque hospitalia fundata, nec non plurimae dispensationes & beneficiorum provisiones factae fuerunt, ac multae personae quibus persuasum fuerat, iuris canonici dispositiones hoc in regno amplius locum non habere, inter se in gradibus consanguinitatis vel affinitatis de iure prohibitis, & aliis impedimentis Canonicis sibi obstantibus, matrimonia per verba de praesenti contraxerunt, & multi actus iudiciarii, & processus, tam in primis quam ulterioribus instantiis super rebus spiritualibus & Ecclesiasticis coram Judicibus tam Ordinariis quam Delegatis, qui authoritate laicali procedebant, habiti & servati, ac super eis etiam sententiae latae, & promulgatae fuerunt, & bona Ecclesiastica per diversas eiusdem regni personas occupata, & apprehensa fuerunt: Quae quidem licet ex sacrorum Canonum institutis irrita declarari possent, tamen si ad alium statum, quam in quo nunc sunt, revocarentur, publica pax & quies universi regni turbaretur, & maxima confusio oriretur, praesertim si dictorum bonorum possessores molestarentur; & propterea *Maiestatibus vestris* humiliter supplicaverint, ut apud nos intercedere dignentur, ut praemissarum rerum firmitati, & stabilitati, & simul huius regni quieti, & tranquillitati, de benignitate Apostolica providere velimus; Cumque Episcopi quoque deinde, ac reliquus provinciae Cantuariensis Clerus totum fere corpus Ecclesiasticorum regni repraesentans, ad quos haec bonorum Ecclesiasticorum causa maxime pertinet, exposuerint, quod haec bona ad ius Ecclesiarum revocare non possunt, quin pax universalis, & quies huius regni turbetur, & causa fidei atque unitatis Ecclesiae, iam toto omnium consensu hoc in regno introducta, in maximum periculum adducatur; & propterea ipsi quoque supplicaverint, ut apud nos intercedere velint, ut in his bonis Ecclesiasticis possessoribus relaxandis restricti & difficiles esse nollemus; *Maiestates* autem *vestrae*, ad quas maxime spectat providere, ut regnum ipsarum potestati, regimini, & curae commissum, in pace & tranquillitate conservetur, his supplicationibus & postulatis cognitis & mature consideratis, iudicaverint ea omnia, & maxime illa quae in bonorum Ecclesiasticorum causa petuntur, pro causa fidei, & pro pace publica, per nos debere fine ulla dilatione concedi, & quemadmodum rogatae fuerunt, apud nos intercedere dignatae fuerint, prout in supplicationibus per idem supremum Concilium & Episcopos ac Clerum praefatum *Maiestatibus vestris* porrectis, atque libello intercessionis per easdem *Maiestates vestras* nobis simul cum aliis supplicationibus exhibito, latius apparet. Idcirco, nos qui ad *Maiestates vestras* & hoc nobilissimum vestrum Regnum, a Sanctissimo Domino nostro

Julio Papa tertio, ipsius & sedis Apostolicae de latere legati missi sumus, ut regnum istud, quod iam diu ab Ecclesiae Catholicae unitate separatum fuerat, *Deo* & Ecclesiae *Christi*, eiusque in terris Vicario reconciliaremus, & ut ea omnia quae ad pacem & tranquillitatem huius regni pertinerent, omni studio procuraremus, postquam Dei benignitate, & *Maiestatum vestrarum* pietate, per authoritatem eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papae, cuius vices hic sustinemus, reconciliatio iam facta est, ut paci & tranquillitati regni praefati consulamus : Atque ut unitas Ecclesiae ex qua salus animar' pretioso *Christi* sanguine redemptarum dependet, hoc in regno iam introducta, corroboretur, & salva permaneat ; cum utriusque rei stabilitatem in eo maxime consistere, si horum Ecclesiasticorum bonorum possessoribus molestia nulla inferatur quo minus ea teneant, tot & tam gravia testimonia nobis fidem faciant, & *Maiestatum vestrarum* intercessio, quae pro unit. Ecclesiae, & sedis Apostolicae authoritate hoc in regno instauranda, tam studiose, & tam pie elaborarunt, eam quam par est authoritatem, apud nos habeat, & ut universum hoc regnum sedis Apostolicae maternam vere indulgentiam, & charitatem erga se agnosc' & re ipsa experiatur ; Quoscunque ad quos infra scripta pertinent, a quibusvis excommunication' suspension' & interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, authoritate Apostolica, per litteras sanctissimi Domini nostri Dom. *Julii* Papae tertii nobis concessa, & qua fungimur in hac parte, tenore praesentium dispensamus, Quod omnes & singulae Cathedralium Ecclesiarum erectiones, hospitalium & scholarum fundationes tempore praeterit' schismatis, licet de facto & nulliter attentatae, in eo statu in quo nunc sunt, perpetuo firmae & stabiles permaneant, illisque Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ita ut non ea authoritate, qua prius, sed ea quam nunc eis tribuimus factae ab omnibus censeantur : Et cum omnibus & singulis personis regni praedicti quae in aliquo consanguinitatis vel affinitatis gradu etiam multiplici vel cognationis spiritualis seu publicae honest' iustitia impedimento de iure positivo introductis, & in quibus Sanctissim. Domin. noster Papa dispensare consuevit, matrimonia scienter vel ignoranter de facto contraxerint ; ut aliquo impedimentorum praemissorum non obstante, in eorum matrimon. sic contractis, libere & licite remanere, seu illa de novo contrahere possint, misericorditer in Dom. dispensamus, prolem susceptam, suscipiendam, legitimam decernentes ; ita tamen ut qui scienter & maliciose contraxerint, a sententia excommunication' & ab incestus seu sacrilegii reatu, absolution' a suo Ordinario vel Curato, quibus id faciendi facultatem concedimus, obtineant : Ac omnes Ecclesiasticas, seculares, seu quorumvis ordinum regulares personas quae aliquas impetrationes, dispensationes, concessiones, gratias & indulta, tam ordines quam beneficia Ecclesiastica, seu alias spiritual' materias, praetensa authoritate

Supremitatis Ecclesiae Anglicanae, licet nulliter & de facto obtinuerint, & ad cor reversae Ecclesiae unitati restitutae fuerint, in suis ordinib' & benefic' per nos ipsos, seu a nobis ad id deputatos, misericorditer recipiemus, prout iam multae receptae fuerunt, secumque super his opportune in domino dispensabimus. Ac omnes process' in quibusvis instantiis coram quibusvis Judicibus tam ordinar' quam delegatis etiam laicis super mater' spiritualibus habitos & formatos, & sententias super eis latas, licet nulliter & de facto, quo ad nullitatem ex defectu iurisdict' praef' tantum insurgentem, sanamus, illosque & illas authoritate Apostolica confirmamus: Ac quibusvis huius regni personis ad quarum manus bona Ecclesiastica ex quocunque contractu seu titulo oneroso vel lucrativo iam devenerint, illaque tenuerint, seu etiam teneant, omnes, & quoscunque fructus ex eiusdem bonis, licet indebite perceptos, in totum remittimus & relaxamus: Volentes ac decernentes, quod dictorum bonorum Ecclesiasticorum tam mobilium quam immobilium possessores praef' non possint in praesenti nec in posterum, seu per conciliorum generalium vel provincialium dispositiones, seu decretales Romanorum Pontificum Epistolas, seu aliam quamcunque censuram Ecclesiasticam, in dictis bonis, seu eorundem possessione molestari, inquietari vel perturbari, nec eis aliquae censurae vel poenae Ecclesiasticae propter huiusmodi detentionem, seu non restitutionem irrogari vel infligi; & sic per quoscunque Judices, & auditores, sublata eis quavis aliter iudicandi & interpretandi facult' & authorit' iudicari & definiri debere, & quicquid secus attemptari contigerit, irritum & inane fore decernimus, non obstantibus praemissis defectibus, & quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus, & synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus & ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Admonemus tamen, cum divisio Episcopatuum & erectio Cathedralium Ecclesiarum sint de maioribus causis, quae summo Pontifici sunt reservatae, recurrendum esse ad suam sanctitatem, & ab ea suppliciter postulandum, ut haec confirmare, seu de novo facere dignetur. Et licet omnes res mobiles Ecclesiarum indistincte eis qui eas tenent, relaxaverimus, eos tamen admonitos esse volumus, ut ante oculos habentes divini iudicii severitatem contra *Belthasarem* Regem Babylonis, qui vasa sacra non a se, sed a patre e templo ablata in prophanos usus convertit, ea propriis Ecclesiis si extant, vel aliis restituant. Hortantes etiam, & per viscera misericordiae *Jesu Christi* obtestantes eos omnes quos haec res tangit, ut salutis suae non omnino immemores, hoc saltem efficiant, ut ex bonis Ecclesiasticis, maxime iis quae ratione parsonatuum & vicariatuum populi ministrorum sustentationi fuerint specialiter destinata, seu aliis Cathedralibus, & aliis quae nunc extant, inferioribus Ecclesiis curam animarum exercentibus, ita provideatur, ut earum pastores, parsonae & vicarii, commode & honeste iuxta earum qualitatem & statum sustentari possint, & curam animarum laudabiliter exercere, & onera incumbentia congrue supportare. Datum Lambeth. prope Londinum, Wintonien. Dioces. Anno Nativit. Dom. MDLIV. Nono Cal.

Januarii, Pontif. Sanctiss. in Christo patris, & Domini nostri, Domini Julii, divina providentia, Papae tertii, anno quinto.

Reginaldus *Cardinalis* Polus *Legatus.*

III.

Facultates pro Episcopis.

(Burnet, *ed.* Pocock, vol. vi. p. 361.)

Reginaldus, miseratione divina Sanctae Mariae in Cosmedin sanctae Romanae ecclesiae diaconus cardinalis Polus nuncupatus, sanctissimi domini nostri papae, et sedis apostolicae, ad serenissimos Philippum et Mariam, Angliae reges, et universum Angliae regnum, de latere legatus; venerabili, ac nobis in Christo dilecto, episcopo Norwicensi, seu eius in spiritualibus vicario generali salutem in Domino sempiternam.

Cum sanctissimus in Christo pater dominus noster, dominus Julius divina providentia papa tertius, inter alias facultates pro huius regni omniumque personarum in eo existentium sanctae ecclesiae catholicae reconciliatione facienda necessarias nobis in nostra hac legatione concessas hanc specialiter indulserit, ut quoscunque in haeresium et schismatis errores lapsos ab eis et a quibuscunque censuris et poenis propterea incursis absolvere, et cum eis super irregularitate praemissorum occasione contracta dispensare, et alia multa ad haec necessaria seu quomodolibet opportuna facere; et hoc idem munus catholicis locorum ordinariis et aliis personis Deum timentibus, fide insignibus et literarum scientia praeditis, demandare possimus; prout in eius literis tam sub plumbo quam in forma brevis expeditis plenius continetur; Cumque Dei benignitate et serenissimorum regum pietate regnum hoc universaliter, et omnes domini spirituales et temporales, aliaeque personae communitatum, in eo quod proxime celebratum est parliamento congregatae singulariter primo, et deinde universum corpus cleri provinciae Cantuariensis, et omnes fere personae singulae dictum corpus repraesentantes, coram nobis existentes, aliaeque pleraeque fuerint sanctae ecclesiae catholicae per nos ipsos reconciliatae; speremusque fore ut omnes aliae quae reconciliatae adhuc non sunt reconciliari debeant; difficileque et potius impossibile sit, ut tam numerosa multitudo per nos ipsos reconcilietur; Ideo vices nostras, in hoc, locorum ordinariis et aliis personis ut supra qualificatis delegandas duximus. Circumspectioni igitur vestrae, de cuius probitate et charitatis zelo plenam in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate apostolica nobis per literas eiusdem sanctissimi domini nostri papae concessa, et per nos vobis nunc impensa, omnes et singulas utriusque sexus, tam laicas quam ecclesiasticas, seculares et quorumvis ordinum regulares vestrae civitatis et diocesis personas, in quibusvis etiam sacris ordinibus constitutas, cuiuscumque status et qualitatis existant, etiam si capitulum, collegium, universitas, seu communitas fuerit, quarumvis haeresium aut novarum sectarum professores

aut in eis culpabiles vel suspectas, ac credentes receptatores et fautores eorum, suos errores agnoscentes, ac de illis dolentes, et ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes, cognita in ipsis vera et non ficta aut simulata poenitentia, ab omnibus et singulis haeresium, schismatis, et ab orthodoxa fide apostasiarum et blasphemiarum et aliorum quorumcunque similium errorum etiam sub generali sermone non venientium peccatis, criminibus, excessibus et delictis, (de quibus tamen iam inquisiti vel accusati seu condemnati non fuerint) et quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdictorum, et aliis ecclesiasticis et temporalibus censuris et poenis, in eas praemissorum et infrascriptorum occasione a iure vel ab homine latis vel promulgatis, etiam si in eis pluribus annis insorduerint, et earum absolutio dictae sedi etiam per literas in coena Domini legi consuetas reservata existat, in utroque conscientiae scilicet et contentioso foro, eos vero qui iam inquisiti vel accusati aut condemnati fuerint, ut praefertur, ad cor revertentes in foro conscientiae tantum plenarie absolvendi et liberandi: Necnon cum eis super irregularitate per eos praemissorum occasione contracta, etiam quia sic ligati missas et alia divina officia, etiam contra ritus et ceremonias hactenus probatas et usitatas, celebraverint, aut illis alias se immiscuerint, contracta; quodque irregularitate et aliis praemissis non obstantibus in suis ordinibus, etiam ab haereticis et schismaticis episcopis etiam minus rite, dummodo in eorum collatione ecclesiae forma et intentio sit servata, per eos susceptis, et in eorum susceptione etiamsi iuramentum contra papatum Romanum praestiterint, etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecunque quotcunque et qualiacunque etiam curata, invicem tamen se compatientia, beneficia secularia vel regularia (dignitatibus in collegiatis ecclesiis principalibus et in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificalem maioribus exceptis), etiam a schismaticis episcopis seu aliis collatoribus etiam laicalis potestatis praetextu habita, auctoritate apostolica retinere, dummodo alteri ius quaesitum non sit, et non promoti ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines a suis ordinariis, si digni et idonei reperti fuerint, rite et legitime promoveri, ac beneficia ecclesiastica etiam curata, si eis alias canonice conferantur, recipere et retinere valeant, qualitate temporis, ministrorum defectu, et ecclesiae necessitatibus utilitatibusque ita poscentibus, dispensandi et indulgendi, ac omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ex praemissis quomodolibet insurgentem penitus et omnino abolendi: Necnon in pristinum, et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, ita ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, favoribus et indultis, quibus caeteri Christi fideles gaudent, et gaudere quomodolibet possunt, uti et gaudere valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si a fide catholica in aliquo nunquam defecissent, restituendi et reponendi et redintegrandi, ac eis (dummodo corde contriti sua errata et excessus circumspectioni vestrae seu alicui alteri per eos eligendo catholico confessori sacramentaliter confiteantur, ac poenitentiam salutarem eis pro praemissis iniungendam omnino adimpleant), omnem publicam

confessionem, abiurationem, renunciationem et poenitentiam iure debita arbitrio vestro moderandi vel in totum remittendi: Necnon quoscunque regulares et religiosos, extra eorum regularia loca absque sedis apostolicae licentia errantes, ab apostasiae reatu et excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos propterea etiam iuxta suorum ordinum instituta incursis, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, pariter absolvendi: et super quacunque irregularitate propterea per eos contracta, ac cum eis ut alicui curato beneficio de illud obtinentis consensu, etiam in habitu clerici secularis, habitum suum regularem sub honesta toga presbiteri secularis deferentes, deservire, et extra eadem loca regularia remanere ad beneplacitum nostrum libere et licite possint, eadem auctoritate apostolica, ob defectum ministrorum et alias praedictas causas, dispensandi: Ac quoscunque qui in sacris ordinibus constituti matrimonia etiam cum viduis et corruptis mulieribus de facto contraxerint, postquam mulieres sic copulatas reiecerint, illisque abiuraverint, ab huiusmodi excessibus et excommunicationis sententia, imposita eis pro modo culpae poenitentia salutari, in forma Ecclesiae consueta absolvendi: Ac cum eis, postquam poenitentiam peregerint et continenter ac laudabiliter vivere cogniti fuerint, super bigamia propterea per eos contracta, ita ut ea non obstante in quibusvis susceptis et suscipiendis ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac alicui beneficio ecclesiastico, de illud obtinentis consensu, deservire, et extra tamen diocesim in qua fuit copulatus, eisdem de causis dispensandi: Necnon parochialium ecclesiarum tuae diocesis rectores sive curatos, de quorum fide, probitate, circumspectione ac charitatis zelo plena fiducia conspici possit, ad quarumcunque utriusque sexus suae parochiae personarum laicarum tantum absolutionem, et ecclesiae catholicae reconcilationem, ut praefertur, auctoritate apostolica faciendam: Et si qui ex curatis praedictis ad id idonei non fuerint, in eorum defectum alias idoneas et sufficientes personas qui eorum vices suppleant nominandi et deputandi, quas sic per eas nominatas et deputatas in locum nostrum in praemissis absolutionibus et reconciliationibus substituimus, eisque vices nostras subdelegamus, plenam et liberam auctoritate apostolica nobis ut praemittitur concessa tenore praesentium concedimus facultatem, vosque in praemissis omnibus in nostrum locum substituimus, praemissis ac regula de insordescentibus et ordinationibus apostolicis et omnibus illis, quae in literis praedictis sanctitas sua voluit non obstare, contrariis non obstantibus quibuscunque, praesentibus in praeteritis casibus locum habentibus, et ad beneplacitum nostrum duraturis. Dat' Lambehith prope Londinum Wintoniensis diocesis anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, quarto calendas Februarii pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Julii divina providentia papae tertii anno quinto.

Reg. Car[lis] Polus, leg.
M. Antonius Faita, secr.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

Numeri paragraphos referunt.

Cantabrigiae
TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBANT
J. ET C. F. CLAY.



